Argolica.

Quaestiones ad Graecorum historiam fabularem pertinentes.

Cap. I—III.

Dissertatio inauguralis

quam

consensu et auctoritate

amplissimi philosophorum ordinis

in

litterarum universitate

Friderica Guilelma Berolinensi

ad summos in philosophia honores rite impetrandos

scripsit

Paulus Friedlaender
Berolinensis.

Promotio solemnis habebitur die 8. Julii anni 1905.

De dissertatione probanda ad ordinem rettuleiunt
Udalricus de Wilamowitz-Moellendorff.
Hermannus Diels

Dissertationis ut partem nunc proponam, permisit philosophorum ordo. quae reliqua sunt, postea publici iuris fient.

Typis expressit E. Ebering, Berolini, Mittelstrasse 29.

Georgio Loeschcke.

Udalrico de Wilamowitz-Moellendorff.

Quod olim animo proposueram, ut universam Argolidis historiam fabularem perscrutarer, quomodo, ubi, quando singula exorta, mutata, aucta, perfecta essent discerem, historiam denique historiae fabularis illius regionis conscriberem, hoc multum abest ut perfecerim. itaque dissertatio mea, cuius partem edo, ipsa pars est, totum aliquando eam futuram esse spero.

Caput I.

De Ione et Danaidibus.

Danaus et Aegyptus in Aegypto nascuntur. ex Ius enim progenie sunt, quae olim usque ad Nilum errans pervenerat. Danaus cum filiabus in Argolidem transmigrat, Aegyptus cum filiis fratrem persequitur.

Danai et Aegypti fabulam non a summa vetustate cum Ione coniunctam fuisse patet; qualem igitur primitus formam

---

Notae.

AJ: Jahrb. d. arch. Instituts.
AM: Athenische Mitteilungen.
BCH: Bulletin de corresp. hellénique.
RhM: Rheinisches Museum.
PW: Pauly-Wissowa, Realencyclopaedie.
RML. Roscher, Mythol. Lexicon.
Wil. Her.: vWilamowitz, Herakles.
Wil. HU: vWilamowitz, Homerische Untersuchungen.
Bethe ThH: Thebanische Heldenlieder.
Grimm KHM: Kinder- u. Hausmärchen.

habuerit, quaerendum est. non poterant Argivi e peregrina terra fratres arcessere, id quod coniunctis illis demum fabulis accidit; sic igitur eos narravisse concludimus: in Argolide olim duos fratres fuisse; quorum alterum *L* filias, alterum *L* filios procreasse. hos illas in matrimonium petiisse; dare noluisse Danaum, coactum dedissse, sed insidias illis parasse.

Haec quam restituebam narratio utrum unquam a poetis epicis arte exornata an statim cum Ius historia coniuncta et in eam quam nos nunc tenemus formam redacta sit, per se nullo modo disceptari potest. at exstant in schol. Eur. Hec. 886[1] res illae fabulosae ita relatae, ut proxime accedant ad formam supra coniciendo effectam; *Αἴγυπτος καὶ Δαναὸς ἀδελφοὶ ἦσαν ἀπὸ Ἰοῦς τῆς Ἰνάχου θυγατρός· τούτων ὁ μὲν Αἴγυπτος ἔσχε ν' παῖδας ἄρρενας, ὁ δὲ Δαναὸς εἶχε καὶ αὐτὸς ν' θυγατέρας· οὗτος φθονῶν τῶι ἀδελφῶι Αἰγύπτωι διὰ τὴν τῶν ἀρρένων παίδων κτῆσιν καὶ φοβηθεὶς ὅπως μὴ ὑπ' αὐτοῦ* [sic vWilamowitz. *αὐτῶι* codd.] *ἐκβληθῆι ἐκ τῆς βασιλείας ἀνδρωθέντων τῶν υἱῶν αὐτοῦ, ἐδίωκεν αὐτὸν εἰς τὴν Αἴγυπτον ἅμα τοῖς παισὶν, ὅθεν καὶ ἀπ' αὐτοῦ ἡ χώρα Αἴγυπτος ἐκλήθη· χρόνου δέ τινος διαγενομένου καὶ τῶν παίδων ἀνδρωθέντων θαρρῶν τῆι τούτων δυνάμει παρεγένετο εἰς τὸ Ἄργος· ὁ δέ Δαναὸς φοβηθεὶς αὐτὸν καὶ πρόνοιαν ἑαυτοῦ ποιούμενος καὶ τῆς βασιλείας, ἐπιβουλὴν κατὰ τῶν Αἰγύπτου υἱῶν ταύτην ἐσκέψατο· συνέθετο γὰρ τῶι Αἰγύπτωι συνάψαι πρὸς γάμον τὰς ἑαυτοῦ θυγατέρας τοῖς υἱοῖς αὐτοῦ. ἑτοίμως δὲ τοῦτο κατεπαγγειλαμένου τοῦ Αἰγύπτου συνεβούλευσε ταῖς θυγατράσιν ὁ Δαναὸς ὥστε ἀνελεῖν νύκτωρ τοὺς ἑαυτῶν ἄνδρας πρὸ τῆς μείξεως τῆς πρὸς αὐτάς κτέ.* haec igitur rerum optime inter se cohaerentium narratio, in qua fratres in Argolide nascuntur, ab ulteriore aetate repetenda est quam fabula vulgata.

---

1. hanc formam vetustissimam esse intellexit Waser PW ‚Danaos'. (quae idem e schol. AD ad *Α* 43 elicit, nihili sunt. cf. Robert, de Apollod. bibl. p. 30).

Αἴγυπτος καὶ Δαναὸς ἀδελφοὶ ἦσαν ἀπὸ Ἰοῦς. fuerintne filii an nepotes an pronepotes non dicitur; hoc paene certum est neque Belum neque Libyen e stemmate vulgari huc revocari posse. Epaphus autem sine dubio Ius filius fuit, utpote quem Apim Aegyptium iam initio fuisse negemus et quem in ‚Aegimii' quoque fabula a Nilo plane aliena Jo pariat[2]. quoniam vero Aegyptus et Danaus in Argolide nati sunt, necessario sequitur: ut aut Io in Argolide filium Iovis pepererit, errores autem omnino non sustinuerit[3] — aut, si in Aegyptum illa venit, Epaphus (vel, ut cauti simus, is qui praeterea inter Ionem et Danaum in stemmate exstaret) in Argolidem reverterit. — Hoc nondum refuto, sed velim respiciatur talis fabulae nusquam ullum vestigium apparere. illius autem ut certa testimonia indagarem mihi contigit.

Valerius Flaccus in Argonauticis (IV 344 sqq) occasione arrepta Orpheum de Ione eadem fere quae Ovidius in Metamorphosibus canentem fingit; hoc uno differt, quod Ionem non semel sed bis mutatam facit. primum enim in figuram humanam restituitur post Argi mortem, deinde per Tisiphonam ab inferis redeuntem si dis placet perterrita rursus vaccam induit, tunc in Aegypto iterum homo fit. hic ultro adparet diversa per vim coniuncta et ei quam omnes norunt fabulae alteram inculcatam esse, in qua Io statim post Om-

---

2. Strab. X 445 (cf. Lobeck Agl. 1131, Maas de Aesch. Suppl. 21). — de Epapho quid primitus narratum fuerit, luculenter non iam videtur mihi diiudicari posse, cum memoria (Apollodori et fortasse Hygini) infecta sit posterioris aetatis (‚Alexandrinae') carmine, in quo fabulae Aegyptiae immixtae erant (cf. Plut. de Is. et Os. Heyne, Apollod. II, p. 103. — praeter Heynium nemo Apld. II 9 W recte, h. e. codicem secutus edidit). sed cum Curetibus (non Euboicis, quae est Lobecki sententia, sed Argivis, cf. Hes. frg. 198 et Welcker, Goetterl. III, 144) iam ab initio Epapho aliquid fuisse crediderim et fortasse huc spectat ‚Danaidis' fragmen a Philodemo (π. εὐσ. 42,21. cf. Nauck Mél. Gr.-R. II 621) servatum.

3. errores ideo inventi videntur esse, ut Io in Aegyptum transportaretur; hac de causa illud omitto in rationem inducere, coeperintne fortasse iidemque finem habuerint in Argolide.

nituentis mortem, i. e. in Argolide, forma aliena liberatur. utri haec contaminatio tribuenda sit, Valerio an poetae Graeco a quod ille pendeat, etsi plane ad liquidum perduci fortasse nequit, equidem a poeta Graeco eam profectam esse multo libentius crediderim.[4]

Poetae Romano alter testis succurrit stamnus Vindobonensis 338 rubris figuris pictus:[5] vacca[6] modo soluta ab olea, e qua restis etiamnunc pendet, Iovi adpropinquat a dextra sub palma sedenti et dextram manum tollenti; in anteriore parte Mercurius Argum, cuius barbam manu arripuit, gladio perfossurus est. — Iuppiter igitur adest et ut in aliis picturis[7] Iunone praesente Ius errores praesagimus, ita in hac scimus Iovem praesentem adiuturum esse amicam. neque fallimur; nam manum vaccae capiti adigit,[8] ut solvat

4. Valerium ab Ovidio, quocum in ipsis verbis non congruit, negaverim pendere (secus iudicat Grueneberg, de Valer. imit. p. 74). ille enim Tisiphonam inducit hic Erinyem. e quo discrimine nihil concluderem, nisi in narratiuncula quadam a Ps-Plutarcho π.ποταμῶν (18) inventa talia legerentur: Inachus filia orbatus Jovi male dixit, ὁ δὲ ἔπεμψεν αὐτῶι Τεισιφόνην ὑφ' ἧς ἐξοιστρηλατούμενος ἔβαλεν ἑαυτὸν κτε. qui hoc scripsit eius animo Jus fata obversata fuisse vel e vocabulo ἐξοιστρ. conicias. Tisiphonam igitur iam Valeri auctor habuisse videtur. — neque finem narrationis, quo Valerius Ovidio amplior est, illum de suo addidisse existimaverim, cum praesertim Nilus, qui Jonem apud Valerium defendit, in pictura quoque Pompeiana aliqua (Helbig, Wandgem. nr 138, cf. 139; Mus. Borb. X t. 2 = RML II, 275) conspiciatur puellam manibus tenens; in eadem Io aspidem accipit et sistrorum crepitu salutatur, a Romano describitur ‚aspide cincta comas et ovanti persona sistro'. itaque haec quoque auctori Flacci, poëtae alicui Alexandrino tribuerim. — cum his nisi fallor mutatio quoque duplex apud auctorem Graecum fuit.

5. Massner, Vasen und Terrakotten des K. K. oesterr. Museums p. 52. Wiener Vorlegebl. 1890/1 t. 11,1. RML II 279. bene descripsit Wernicke PW II 793.

6. pro vacca pictor taurum delineavit. controversiae, quae ex hoc errore ortae sunt, ei qui vasorum picturas interpretari didicit nullae esse videbuntur.

7. praecipue AJ 1903 p. 53.

8. in ipso vase manus dei propius a capite vaccae abest, quam in exemplis a forma convexa in chartam planam translatis. cf. Massner:

eam ἐπαφῶν ἀταρβεῖ χειρί. atque ne dicas pictorem omissis erroribus Argi necem in Argolide perpetratam cum Ione ad Nilum liberata coniunxisse, in primis eo prohiberis, quod ipsam arborem ipsamque restim oculis proposuit artifex, quibus modo soluta vacca Iovi adpropinquat. Stamni igitur Vindobonensis pictura grave argumentum mihi accedit fuisse re vera eam quam detegebam fabulae formam.[9]

Redeo ad id quod supra dixi: aut Io inquam in Aegyptum pervenit, Epaphus Argos revertitur, e cuius progenie Danaus et Aegyptus Argivi sunt — aut Io Epaphum domi parit, Aegypti terrae non prius mentio fit quam Danai frater eo iter faciat. illius rationis nullum vestigium reperiri potest, huius duo ostendi. illam nihili esse adparebit, cum non Ius causa, hoc est non propter Ius in Isidem mutationem, fabulam in Aegyptum esse translatam demonstravero.

Quod enim in volgus hodie creditur Ionem propterea in Aegyptum ductam esse, quia iam septimo saeculo pro dea Iside habita sit, hoc rectum esse praefracte nego; numquam enim ante saeculum III Ionem in deam Aegyptiam commutatam esse usquam commemoratur. In Herodotum primum inquirimus, qui quod dicit, τὸ τῆς Ἴσιος ἄγαλμα ἐὸν γυναικήιον βούκερων ἐστὶ κατάπερ Ἕλληνες τὴν Ἰοῦν γράφουσι (II 41) vel a neutra parte vel potius a mea facit; nam si cui Io eadem est quae Isis, vix tamquam novi aliquid comparationem talem proferet. immo idem qui Apim lingua Graeca Epaphum[10] esse noverit (c. 153), de Iside hoc pronuntiat:

---

die rechte beschwörend erhoben. dieselbe ist mit der stirne des tieres fast parallel und ihr viel näher als auf der mangelhaft abgerollten zeichnung.

9. huc olim Inachum quoque Sophoclis revocavi, quam fabulam restituit Wil. Her. I[1] 88, id quod nunc iam non audeo obtinere.

10. inde quod Apis idem habetur qui Epaphus, minime sequitur, ut Io Isis sit, vel propterea, quia Isis mater Apis non est. sed ex Ione, quae vaccae forma induta ad Nilum pervenit, Apim, potius fortasse primum Apim, natum esse facile perhiberi potuit, cum praesertim nomen tauri Aegyptii a nomine Epaphi non nimium abesset. (hoc dico contra Plewium, Jahrb. f. Phil. 1870 p. 668.)

Ἶσις δέ ἐστι κατὰ τὴν Ἑλληνικὴν γλῶσσαν Δημήτηρ (c. 59). — Apud Aeschylum qui semel atque iterum de Ius in Aegyptum adventu loquitur, de dea Iside aliquid te inventurum esse exspectas. haec vaticinatur Prometheus: pervenies ἐς χθόνα Νειλῶτιν οὗ δὴ τὴν μακρὰν ἀποικίαν, Ἰοῖ, πέπρωται σοί τε καὶ τέκνοις κτίσαι (Prom. 839 = 811 K), tum de Canobo locutus: ἐνταῦθα δή σε Ζεὺς τίθησιν ἔμφρονα ἐπαφῶν ἀταρβεῖ χειρὶ . . . . ἐπώνυμον δὲ τῶν Διὸς + γεννημάτων τέξεις κελαινὸν Ἔπαφον ὃς καρπώσεται ὅσον πλατύρρους Νεῖλος ἀρδεύει χθόνα. neque magis in Supplicibus Aeschyli ullum de Iside verbum, neque in Bacchylidis carmen XVIII mutilatum quisquam deam Aegyptiam inferre conabitur. quam multum valeat hoc argumentum ex silentio petitum, tum maxime perspicies, cum posteriores de iisdem audiveris rebus verba facientes, velut Lucianum (d. d. 3) apud quem Iuppiter Mercurio praecipit: τὴν δὲ Ἰὼ ἐς τὴν Αἴγυπτον ἀγαγὼν Ἶσιν ποίησον· καὶ τὸ λοιπὸν ἔστω θεὸς τῶν ἐκεῖ κτἑ. vel Ovidium (met. I 747, her. XIV 86) vel Plutarchum (Herod. mal. c. 11) vel quemvis alium.[11] antiquis temporibus de Ione in deam Isidem mutata nemo narravit.[12] quae eius sors fuerit, ex Apollodoro patet; nubit enim in Aegypto regi Telegono, qui neque ad fabulae formam vetustissimam de qua nunc agimus (*A*) neque ad tempora postrema Iusque in Isidem mutationem, sed ad unam formam epicam volgarem (*B*) quadrat.[13]

---

11. Callimachi Ἰοῦς ἀφίξει (de quo carmine cave ne Dittricho, Fleckeis. ann. suppl. 23, quicquam credas) mutationem illam facile aliquis tribuerit; atque subest mutatio Callimachi epigrammati 57, cui sane ‚dubiae fidei' notam adposuit v. Wilamowitz. — carmen Alexandrinum supra in Epaphi rebus deprehendimus (adn. 2), praeterea poetam Alexandrinum Valerius (adn. 4) ante oculos habuit. haec omnia ad Callimachum referre in proclivi est, quamquam demonstrari vix poterit.

12. cf. Lafaye, Culte des divinités d'Alexandrie pag. 9. — quod medio ire conantur Plew, Jahrb. f. Phil. 1870 p. 668, et Engelmann RML II 270, 272, uterque fallitur. recte autem de Jonis forma in pictura mutata Engelmannus (RML II 271) iudicat, non Ed. Meyer Forschungen I 78[2] illius censor iniquus. add: AJ XVIII 57 sq.

13. alio stemmatis loco fortasse falso Telegonus exstat in schol. Eur. Or. 932.

Ad hunc igitur modum vetustior illa fabulae forma *A* restituenda est: Io a Iove comprimitur, a Iunone in vaccam mutatur, ab Argo custoditur, Argo interfecto[14] a Iove in pristinam figuram restituitur. Epaphum parit, e cuius progenie (filii?) Danaus et Aegyptus sunt. hic ab illo e terra eicitur, ad Nilum pergit ire, cum filiis adultis revertitur, specie amicitiae recipitur, filii clam iussu patrui ab novis uxoribus enecantur. contra in fabula vulgata (*B*) Io in Aegyptum pervenit filiumque parit, qui in Aegypto Danai et Aegypti proavus fit.

Gravis haec commutatio quo modo facta sit, explicari oportet; atque cum non possit explicari ex historia Ius, ex Danai Aegyptique historia causa repetenda est. aut igitur Aegyptum Graecum fuisse iam non crediderunt, aut Danaum e terra peregrina in Argolidem ducere fuit in animo, aut utrumque eius qui illud mutavit menti obversatum est. iam memineris velim in fabularum forma *B* Belo et Agenore stemmati insertis Cadmum Aegypti et Danai cognatum factum esse. unius igitur, quod videamus, hominis fuit, Danao ex Aegypto in Argolidem ducto et adiuncto Cadmo monstrare, praecipuas Graeciae gentes e terris orientis solis incolas accepisse.

Formam fabulae recentiorem expresserunt *ὁ τὰς Δαναΐδας* et Hesiodus in Catalogis; in versibus enim qui e ‚Danaidibus' soli servati sunt de pugna quadam inter Danai filias et Aegyti filios ad Nilum facta certiores fimus, de Ca-

14. *Ἀργειφόντην* Argum unquam non interfecisse vix credere possum. tamen in amphora Monacensi 573 (Mon. d. Inst. II 59,8. Wiener Vorlegebl. 1890/1 t. 12) n. f. picta (non chalcidica, ut Loeschcke me docuit) Mercurius vaccam astu, non per vim, liberare videtur (recte sic Wernicke PW ‚Argos'). ipse olim contuli Apld. II 7: *Διὸς ἐπιτάξαντος Ἑρμῆι κλέψαι τὴν βοῦν ἐπειδὴ λαθεῖν οὐκ ἠδύνατο* (quocum mirum quantum consentit Bacchyl. 18 *οὐδὲ Μαίας υἱὸς δύνατο . . . λαθεῖν νιν*) *λιθῶι βαλὼν ἀπέκτεινε τὸν Ἄργον.* sed hoc quoque arduum est, conatum non effectum credere depictum esse. tamen quod de Argeiphonta dixi teneo. latet igitur difficultas, quam non solvo, cum audacius periclitari nolim.

talogis, in quibus Agenor et Belus fuerint, vix opus est verba facere. eodem referendus est auctor ab Aeschylo in Supplicibus et in Prometheo adhibitus, quem Hesiodum non fuisse evincitur eo quod hic[15] Pirenem patrem Ius appellat, ille Inachum, apud hunc[15] Iuppiter Ionem transmutat, apud illum Iuno.[16] iam concludere proclive est[17] Aeschylum pendere e Danaidibus, quod carmen vel propter versuum numerum — 6500 praebet tabula Borgiana — habuisse suam auctoritatem facile credas eaque coniectura haud scio an fulciri possit conlatis quae filiae in Supplicibus (707 K) ad patrem loquuntur verbis: ,*ἐξώλές ἐστι μάργον Αἰγύπτου γένος μάχης τ' ἄπληστον· καὶ λέγω πρὸς εἰδότα*' cum illis versibus e carmine epico servatis: *καὶ τότ' ἄρ ὡπλίζοντο θοῶς Δαναοῖο θύγατρες πρόσθεν ἐυρρεέος ποταμοῦ Νείλοιο ἄνακτος*. Sed res ad liquidum perduci non potest, immo ne id quidem fortasse contendere licet ex uno fonte eum hausisse, quoniam Aeschylum Hesiodi carmina cognita habuisse vix quisquam serio negabit. sed utut fuit, e recentiore fabularum conformatione (*B*) summam certe rerum sumpsit Aeschylus, vetustiorem quam supra deteximus (*A*) num omnino legerit nescio.

In *A* Danaus Aegyptum cum pueris ex Argolide eicit. magna commutatione in *B* facta iam et Danaum et Aegyptum ex Aegypto in Argolidem transmeare necesse erat Danaidasque ab Aegyptiadis profugari. causae igitur reperienda erant, de quibus causis puellae iuvenes aspernarentur. atque Aeschylus quidem tam occulte loquitur (Suppl. 9. 37.—339 [323 K] corruptus, sed 338 dignus qui respiciatur) ut quid velit vix adpareat. plus lucri facimus e fragmento

15. frg. 187 Rz². ab Aegimio haec aliena. nam 1) ‚Hesiodus' semper nominatur, 2) Apld. paulo post Cercopem i. e. Aegimium adfert, 3) de Pirene Acusilaus consentit, quem cum Hesiodo Catalogorum potius quam cum Aegimio consentire licet arbitrari.

16. Ernestus Maas in prooemio de Aeschyli Supplicibus conscripto quae differunt neglegens Aeschylum ab Hesiodo pendere dicit.

17. id quod post Welckerum fecit Ed. Meyer, Forschungen I 69.

e Danaidibus Melanippidae lyrici (Bergk PLIII[4] p. 589) servato, in quo graviter corrupto haec fere dispiciuntur, afuisse puellas a mulierum vita victuque et virorum mores exercuisse. huc refero ‚Danaidum' carminis epici fragmen supra exscriptum. mirato enim cur filiae virorum munere fungantur, versus illi lyrici obferuntur, e quibus hoc non cunctor efficere, iam in carmine epico Danaidas viragines fuisse. nunc vero reputa, sitne veri simillimum ideo eas ut viragines descriptas fuisse, quo cur Aegypti filiis nubere nollent causa proferretur. hoc si rectum est verba Apollodori (II 12) ‚*στασιασάντων δὲ αὐτῶν περὶ τῆς ἀρχῆς ὕστερον Δαναὸς τοὺς Αἰγύπτου παῖδας δεδοικώς . . . . ἔφυγε*' ad ‚Danaides' non spectant vel certe non unica causa ibi erant.

In schol. Eur. Hec., a quo profecti sumus, Lynceus *σωθεὶς ἐξεδίκησε τοὺς ἀδελφούς. ἐφόνευσε γὰρ τὰς θυγατέρας τοῦ Δαναοῦ ἅμα καὶ αὐτόν.* hoc quoque, quod nullo alio loco referri videtur,[18] in *B* mutatum est. 1) Danaum olim filias certaminis praemia *πρὸς τέρμασιν ἀγῶνος* posuisse et celerrimum quemque suam sibi abduxisse[19] vetus fabula est e carmine epico sine dubio profecta, ut quae iam a Pindaro a. 474 ut Cyrenaeis quoque nota tangatur et ab Apollodoro interposita puellarum purgatione cum reliquis factis conectatur. 2) Herodotus II 98 urbem Aegyptiam nomen repetere conicit *ἀπὸ τοῦ Δαναοῦ γαμβροῦ Ἀρχάνδρου τοῦ Φθίου τοῦ Ἀχαιοῦ*, atque sine dubio noverat id quod nos apud Pausaniam (VII 1,6. II 6,5) videmus, Archandrum et Architelem e Phthiotide in Argolidem advenire et Automatam Scaeamque Danai filias ducere.[20] 3) non dubito quin ne Aeschyli quidem Danaidi

18. Danaum interfectum esse a Lynceo etiam alibi interdum narratur: Serv. Aen. X 497. cf. ‚Lynceus' Theodectae.

19. Pind. Pyth. IX 111, Apld. II 22, Paus. III 12. Aristoteles *ὁ τὸν πέπλον* (sch. Aristid. p. 105 Fr) in certaminum enumeratione; e simili memoria Hyg. 273. cf. praeterea EtM 743, 17 s. v. *στάδιον*.

20. haec ratio *τοῦ γενεαλογεῖν* amplius patet: Oenomaus filius Eurythoae Danaidis et Martis: sch. Ap. Rh. I 752 — Myrtilus f. Phaethusae Danaidis et Mercurii: sch. Eur. Or. 998 — Sperchius coniunx Po-

alia forma subfuerit. nam in fine tertiae tragoediae agitur de Hypermestra accusata, quae absolvitur Venere causam dicente. cum hoc autem iudicio, quod tamquam *αἴτιον* Criterii Argivi (Paus. II 20,7) ex auctore sumpsit Atheniensis, vix coniunctum fuit Danai filiarumque mors. quamquam hoc tertium argumentum per se ceteris debilius esse concedo.

In recentiore memoria puellae nisi specie fallimur viragines erant; praeterae a Lynceo non interficiebantur; ad utrumque quadrat, quod Minerva eas tueri a mythographo dicitur (Apld. II 12. 22), non quadrat ad *A*, in qua narratione non servantur sed necantur. Minerva Danao suadet, ut navem aedificet, filias cruentas purgat, aptissimeque iis adest, quae virgines manere volunt, sicut ipsa dea. huc pertinet, quod Danaus Rhodum appulsus simulacrum *Ἀθηνᾶς Λινδίας*[21] statuit, qui rumor, quoniam ad Amasis regis Aegypti aures penetravit,[22] iam in saeculi VI priore parte circumferebatur, haud multo post carmen epicum pactum, a quo rem Lindiam afuisse veri dissimillimum est.

In *B* igitur prior pars (Ius fabula) Iunonis inimicitiis, altera Minervae tutela administratur. in *A* de priore parte idem valet, in altera nullum numen regnasse non credo. si

---

lydorae Danaidis: Ant. Lib. 32 (Peneus: Pherec. in sch. Ap. Rh. I 1212) — Pharis f. Mercurii et Phylodamiae *Δαναοῦ*: Paus. IV 30,2 cf. VII 22,5. — Orchomenus f. Iovis et Hesionae *Δαναοῦ* (codd. *Ἰσιόνη* vel *Ἰσονόη*): sch. Ap. Rh. I 230. — praeterea Side filia Danai: Paus. III 22,11. — cf. etiam Celaenum, eponymum Celaenarum Phrygiae, filium Calaenus Danaidis (Strab. 579) et de Bebryca Apld. II 19 cum Eust. ad Dion. Per. 805. — etiam Argus (eponymus) apud Hyginum filius Danai audit. — (Tzetzes Lyc. 77 [*Δα*]*ναΐδος* Wilamowitzius itemque opinor Ps-Plut. parall. 33 [*Δα*]*ναΐδος*).

21. aniconicum: Callim. frg. 105.

22. Herod. II 182. iam tum igitur Aegyptii fabulas Graecas ad Aegyptum spectantes — vel potius historiam — cognoscere studebant. — ceterum cf. de his rebus Jacoby Marmor Parium p. 41 sqq, quem nollem se ipsisse ‚Aischylos kennt die landung dort nicht'. rectius: non commemorat.

quod regnavit, Iuno regnarit, dea γαμοστόλος Argiva, quae puellas suae voluntati non obsequentes morte punit, uni Hypermestrae propitia est. atque paene necessarium est tale quoddam statuere. nam in *B* fabulae Ionis et Danaidum ita coniunctae sunt, ut in Aegypto illa moriatur, hae nascantur; non item in *A*: immo inter duas fabulas ab initio omnino nihil commune est. investigandum igitur, cur et quo modo coniunctae sint. nulla causa in ipsis hominibus et factis dispicitur; causa apparet, si ponimus, fuisse primitus duas historias ad Iunonem Argivam pertinentes.

Eodem alia via pervenimus profecti ab Eusebi (p. 34 Sch.) verbis ἐν Ἄργει ἱεράτευσεν Ὑπερμήστρα Δαναοῦ, quae ad Hellanici Ἱερείας τῆς Ἥρας referre nemo dubitabit; a temporibus Hellanici statim in remotiora ascendimus. quaerentes igitur, cui contextui id fragmentum apte inseri possit, mittimus *B*. nam brevi illo temporis spatio, quod inter Danai et Aegyptiadarum adventum interest, Hypermestra sacerdos fieri nequit, neque magis apte postea. hoc statim eluceat, si sacerdotem Iunonis virginem esse oportuisse recte Welckerus[23] dicat; qui etsi haud scio an erraverit, tamen non minus constat Hypermestram, postquam Abantem peperit, partes suas peregisse, et paene intolerabile esset, si etiamtum sacerdotium Iunonis iniret. in *B* igitur officio illo vix apte fungi poterat. si fungebatur, ex *A* hoc remanebat. in *A* enim aptissimum est, quod in *B* paene ineptum: Danai

23. Goetterlehre I 366. — (de Hellanici libro cf. Prelleri Opusc. p. 57. add.: Inschr. v. Magnesia 17,13). praeter Ionem et Hypermestram hae fere in censum veniunt: Callithyia, quae nec coniugem nec liberos habet. — Alcyone (Dion. Hal. I 22) fortasse Stheneli filia (Apld. II 53 Diod. IV 12,7) etsi tempora non plane coeunt. — Admata f. Eurysthei et Antimachae Amphidamantis [Ἀδμάτας in tab. Farnes. Jahn-Michaelis Bilderchron. p. 75 ex Apld. III 105 corrigo in Ἀντιμάχας] vel propter nomen innupta. — sed Eurydica uxor Acrisii, mater Danaae, est (Jahn-Mich. D²K¹ p. 76, Apld. II 26, Paus III 13,8), quamquam non adparet, fueritne sacerdos ante matrimonium remanseritque postea. — mater Cleobis et Bitonis ab Herodoto sacerdos non nominatur, sed in Ps.-Platonis Axiochi p. 367 et apud posteriores.

Argorum regis filia deae reginae sacerdotio fungitur, cuius praeceptis stat, postquam a viro ducta est. impiae interficiuntur, Hypermestra regina fit et magnae prolis mater. At non solum aptissimum est formae *A* Hypermestrae sacerdotium, verum etiam plane necessarium, ut explicari possit, quod sanequam eget explicatione, cur fabulae Ionis et Danaidum in unum coaluerint: et Io et Hypermestra Iunonis sacerdotes sunt. duas igitur narrationes ad Iunonis sacerdotes et ad Heraeum pertinentes, inter quas ab initio nihil intererat, postea nescio quis coniunxit. Ut breviter comprehendam: in *A* Hypermestrae sacerdotium et ad Danaidum fabulam aptissimum et ad ambarum narrationum conexum quo modo ortus sit intellegendum omnino necessarium; in *B* supervacaneum et ad Danaidum fabulam paene ineptum.

In schol. Eur. Hec., in quo antiquiorem formam repperimus, Hypermestra coniugi parcit *ἀπὸ τῆς μείξεως διάθεσιν ἐσχηκυῖα πρὸς αὐτόν*, in recentiore memoria *Λυγκέα διέσωσε παρθένον αὐτὴν φυλάξαντα* (Apld. II. 21). vides quam bene illud quoque non solum tempori antiquiori sed etiam *Ἥρας τελείας* religioni conveniat.

Tum in *A* Danaides capite poenas pro scelere dare, in *B* servari supra exposuimus. cur haec mutatio facta est? potest aliquis causam repetere ex alia eius hominis religione qui pro Iunone Minervam induxit. sed graviora haec sunt: 1) cum in *B* mutatione effectum esset, ut Danaus e peregrina terra in Argolidem veniret, necesse fuit incolas a Danao nomen recipientes fingere, id quod aegre potuit fieri Danao et filiabus statim post nuptias interfectis. 2) Archander et Architeles aliique cum Danai filiis coniuncti erant fabula illa de necatis puellis sine dubio ratione omnino non habita. itaque si quis illorum conubia servare volebat, puellas in vita retinere coactus erat. 3) non impetro ab animo, ut credam raram illam de Danaidibus pro praemiis velocitatis expositis fabulam factam esse, ut illae servatae conlocarentur. immo hac quoque fabula factum esse iudico, ut in *B* servarentur. itaque si recte sentio — nam sentire possumus

in tali re, scire non possumus — narrabatur fuisse olim regem sive Danaum sive alium, qui filias procis cursu certantibus in matrimonium daret. tali fabulae quid subsit, si quis eruere volet, procul habebit Atalantam, quae cum Hippodamia et multis aliarum gentium virginibus fabularibus capitis periculo et difficillimo certaminum genere adipiscendis[24] coniungenda est, nec multum lucri faciet e Graecis fabulis remotioribus, quae posteriorum temporum sunt, velut de Penelopa et de Theba Adramyis filia.[25] quodsi recte dixi illam fabulam primo per se circumlatam fuisse, apparet in ipso genere quo parantur uxores omne acumen positum esse. tum ego quidem non possum non suspicari latere *αἴτιον* moris cuiusdam in nuptiis usitati; qualis mos etsi quod sciam non traditur, tamen prope accedit, quod de Brachmanibus Nearchus (Strab. XV 716) tradit *τὸ τὰς παρθένους ἆθλον προκεῖσθαι τῶι πυγμὴν νικήσαντι ὥστε ἀπροίκους συνεῖναι.*[26] opinio mea paulisper fulcitur eo quod in ludorum indice Hyginus (273) enumerat ‚quinto loco Argis, quos fecit Danaus filiarum nuptiis cantu, unde hymenaeus dicitur'. hymenaei igitur *αἴτιον* ex illo certamine repetitur,[27] quod ipsum *αἴτιον* fuisse suspicatus sum. -- Sed utut de hac explicatione iudicabis, hoc teneo, certamen quoque illud in causis fuisse, cur in *B* puellae vivae manerent.

Iam ad rem subdifficilem quaestio progreditur; gravissimum enim illud est, quod nunc formae *A* addere conabor, Danaidum dico aeternam apud inferos poenam.[28] notum est illam *ὑδροφορίαν* posteriorum demum temporum testimoniis

———————

24. v. Hahn, Griech. u. alban. märchen I p. 54 ‚brautwettformel'.

25. Paus. III 12 (fabula orta e nomine Aphetaidis?) — schol. *Z* 396 (fabula orta e nomine Adramyttii *ἀπὸ τοῦ δραμεῖν*?)

26. longius abest, quod de Babyloniis Venetis Thracibus apud Herod. (I 196) et Melam (II 2,21) traditur (et in nuptiis pentecostalibus apud Germanos occurrit: Mannhard Baumkultus 458sqq. Usener, Verhandl. der 42. Philologenvers.) et quod de Samnitum more a Nicolao Dam. (FHG III 457) et Strabone (p. 250).

27. id quod aliunde mihi non notum est.

nobis tradi, inter quae Ps-Platonis Axiochus (371 e) et vasa Magnae Graeciae inferorum imaginibus depicta[29] prima videntur esse temporum ordine.[30] sed e testimoniorum aetate nihil licet concludere ad fabulae ipsius tempora, quae in Argolide exorta facile potuit latere. iam adparet recogitanti a forma *B* hanc poenam omnino alienam esse, ut in qua puellae in Minervae tutela sint, in qua non moriantur, in qua nova matrimonia ineant. unice autem quadrat ad formann *A*, in qua statim post noctem cruentam poenas capite dent.[31] itaque aut in *A* fuit aut si postea accessit, addita est ab eo qui forma *B* neglecta formam *A* funditus nosset. ad utram sententiam transeundum sit, mihi quidem iam initio vix dubium esse posse videtur. valuit enim posteriore tempore forma posterior *B*, ut ego omnino animo fingere non possim, quo quis pacto formam obsoletam in lucem traxerit, ut illam poenam infernam ad-

---

28. de hac re multi egerunt: Wil. HU 202. Rohde Psyche I² 326. Dieterich Nekyia 70¹. Duemmler, Delphica 20sqq = Kl. Schr. II 145. Kuhnert AJ VIII 110. Wil. Her. II² 221. Jane Harrison, Prolegomena to the study of Greek religion 614 sqq. Reinach Révue arch. 1903 p. 184.

29. ‚unterweltvasen'.

30. praeterea apud Graecos: Lucianus ἐναλ. διαλ. 6, proverbii loco Luc. Timo 19. Hermot. 61, νεκρῶν διαλ. 11,4. Zenob. II 6, Macar. III 16. — apud Romanos: Hor. od. III 11, Tib. I 3, Sen. Herc. fur. 757, Hyg. 168, Serv. Aen. X 498, alii. anaglyphum Romanum: Visconti Museo Pio-Clementino IV 36. sarcophagus e cod. Pighiano: Jahn, Saechs. Berichte 1856 (Darst. d. Unterwelt). — e vasis nigris figuris ornatis lecythus Panormitana (AZ 1870 t. 31. cf. Furtwaengler AJ 1890 Anz. p. 24 sq) mares et feminas praebet, non Danaides; in amphora Monacensi (153 Jahn. Inghirami vasi fitt. 135, Gerhard Ges. Abh. t. 9, Baumeister Denkm. p. 1924) non facile Danaides pictas esse quisquam demonstrabit.

31. hoc quodam modo sensit Rohde Ps. I 327. Rohde ipse Danaidum apud inferos poenam non ita veterem arbitratur negatque Duemmlero contigisse, ut veterem esse demonstraret. idem negat Wil. Her. II² 221 adn. — sensisse certe recte Duemmlerum ego demonstrare conor (Aeschylum autem hanc fabulam cognitam habuisse nec probavit nec potest probari).

deret. sic enim voluntati et artificio unius plus aequo tribuitur. Ita quoque rem mecum aspice: in *B* Danaus filias mittit ὑδρευσομένας (Apld. II 13), haec autem aquatio cum illa inferna aliquo modo cohaeret. *B* ex *A* certis mutationibus facta est. itaque si aquationem infernam in ipsa forma *A* fuisse statuimus, is qui *B* ex *A* mutando fecit, in aquatione haud aliter rem administravit atque in ceteris: mutatam recepit. sin vero fuisse aquationem in *A* negatur, statuendus est homo, qui ad exemplum formae *B* posteriore tempore in forma *A* obsoleta aquationem addiderit, sed plane aliam atque talem, quae vetustiorem ni fallor speciem praebeat; hoc est: inveniendus est homo, qui vehementer vereor ut umquam potuerit extare.

Eodem pervenimus, cum quidnam velit illa ὑδρεία inferna respicimus. nemo nescit simillimam portendi sortem expertibus mysteriorum — Eleusiniorum[32] et Orphicorum[33] — quam similitudinem ut explicarent, statuerunt viri docti eandem apud inferos sortem caelibes manere in volgus creditum esse. ab his translatam esse ad Danaides. summa enim est inter matrimoniorum et mysteriorum formas et mores similitudo,[34] quae utraque τέλη appellantur, quibus lavatio, vannus, καταχύσματα, velleris usus, mos capitis obvolvendi, alia communia sunt. accedit quod innuptis post mortem infinitos inutilesque labores ferendos esse etiam apud Germanos vulgus credit.[35] accedit fortasse lecythus Panormitana (in adn. 30 conmemorata), in qua iuvenes et mulieres vasa ad dolium portantes conspiciuntur, non Danaides videlicet, sed ni fallor ne ἀμύητοι quidem, sed ἄγαμοι, cum

---

32. nam in Delphica Cnidiorum Lescha (Paus. X 31,9. 11) ἀμυήτους esse Eleusiniorum expertes veri simile est.

33. Plat. Gorg. 493 (cf. Rep. II 363 4).

34. Lobeck, Agl. 646 sqq. Diels Sib. Bl. 48. Kuhnert AJ VIII 110. Dieterich Arch. f. Religionsw. VIII 48. HG Pringsheim, Arch. beitr. zur gesch. d. eleusin. kults (Muenchen 1905) p. 28 sqq (p. 34).

35. Waser, Archiv f. Religionsw. II et quos is adfert L. Tobler, Kl. Schr. p. 135, Rocholz Globus XXXIV 13.

iuvenes omnes sint (barbis enim carent mares), apud Polygnotum ἀμύητοι, id quod e re est, variae aetatis; et cum omnes fere λουτροφόρους portent,[36] non quaelibet alia vasa; λουτροφόρους autem in caelibum sepulcris Athenienses ponebant[37] ad animarum procul dubis usum, si quidem probum est, quod Georgium Loeschcke saepius memini dicere ‚super sepulcrum poni, quod in sepulcro oporteat poni ad defuncti usum'.[38] ferunt igitur ut conicere licet aquam nuptialem.[39]

Ex hac ἀγάμων sorte orta est Danaidum ὑδροφορία. etiam magis igitur adparet hanc poenam non quadrare ad formam *B*, in qua aliis viris nubant, sed unice ad formam *A*. iam supra exposuimus formam *A* pertinere ad Iunonis religionem, ad Heraerum Argivum. Iuno dea nuptialis est. in ea de qua nunc agimus fabula summum, hoc est quod sua culpa matrimonium non adsecutae post mortem infinitos labores patiuntur. nonne haec optime conveniunt? nonne veri dissimillimum est posteriore tempore, quo forma *B* florebat, ad formam *A* id additum esse, quod ad Iunonis religionem mirum quantum aptum est?

Ut breviter quae exposui comprehendam: Danaidum apud inferos aquatio formae *A* optime convenit, non convenit formae *B*. difficultatibus implicatur, qui postea illam

---

36. e septem vasis quinque λουτροφόροι sunt, quarum quattuor duas ansas habent, quinta unam vel fortasse unam magnam duas parvas. (cf. vasa Berolin. 2630 et 31, in Woltersi indice — AM XVI — sub numeris 32 et 33 posita; tum anaglyphum AM XII t. 9. praeterea formam eadem ansa sed etiam duabus parvis insignem, in Woltersi indice 23, 1, 10, 26 al.)

37. Milchhoefer AM V 176, Herzog AZ XL, Wolters AM XVI.

38. cf. AKoerte AM XXIV 10. huc pertinet, quod hasta figebatur in necati qui ultoribus carebat sepulcro: Rohde Ps. I² 325.

39. Dieterich Nekyia 76. — Milchhoefer, Philol. LIII obloquitur: εἴδωλα enim in vasis depicta non λουτροφόρους portare, neque πίθον esse λουτήριον. illud falsum esse adspecta lec. Panormit. intellegitur; hoc non multum valet, cum in talibus πίθοις num olim homines lauti sint, nesciamus, deinde vero ὁ τετρημένος πίθος, qui in proverbium cessit, facile hoc potuerit cogere.

additam esse autumat. itaque veri simillimum est vetustissimae fabulae eam propriam fuisse. id autem, quod mihi obiectum est et fortasse obicietur, poetis epicis mortem ultimam lineam rerum esse, hoc nihili facio. fluxit enim illa opinio e poësi Homerica i. e. Ionica. quid autem? nonne novimus *καταβασεις* epicas, nonne legimus Necyiam Odysseae? et quod summum est, quid in carmine Argivo de morte et de inferis narratum sit, quid non potuerit narrari, hoc nescimus — sed fortasse discemus.

Credebat igitur populus Argivus non minus quam Atticus eos qui matrimonium non vidissent post mortem semper sine fructu aquam portare. e qua populi superstitione apud Iunonem Argivam pia illa fabula exstitit. duae narrationes diversae, quae apud Heraeum de Ione et de Hypermestra, deae sacerdotibus, ferebantur, postea ab uno poeta coniunctae et excultae sunt (*A*). is qui formam recentiorem (*B*) constituit, Minervam induxit, Danaides superstites esse voluit, poenam aeternam omisit. Iunonem quoque quam maxime poterat videtur omisisse. nam ne illud quidem officium retinuit dea, quod retinere potuit, Hypermestrae servandae. apud Aeschylum enim Venus pro puella accusata causam dicit in tertia trilogiae parte; quod a poeta Atheniensi inventum non est, quia cum aetio Criterii Argivi (Paus. II 20,7) cohaeret et quia puellae etiam praeterae cum Venere bene convenit, quae templa *Ἀφροδίτης Νικηφόρου* (Paus II. 19,6) et *Πειθοῦς*[39a] (21,1) condat.

In *A* nullo indicio longius ab Heraeo abducimur, nihil omnino de Argis oppido et de meridionali Argolidis parte nos monet. in *B* Minerva intercedit, quam fuisse *Ἀθάναν* in Larisa cultam facile coniciat aliquis, Iuno aut pauca aut nihil agit. quocum optime congruit, quod in Argolide meridionali loca et monumenta cum Danao et filiabus coniunc-

39a. neque enim audacius mihi videtur Pausaniam erroris insimulare, apud quem *Ἄρτεμις Πειθώ* appelletur. nam *Πειθώ* inaudita Dianae epiclesis est, neque res est Dianae cum Hypermestra. fuit igitur vel *Πειθώ* vel *Ἀφροδίτη Πειθώ*.

ta omnia ad fabulae formam *B* pertinent, aut certe talia sunt, ut non liceat internoscere, utrum ad *A* an ad *B* spectent. magni autem momenti hoc esse arbitror, quod Hypermestra, quam in *A* Iunonis sacerdotem esse evicimus, Argis in urbe Veneris templa condit, ut a Iunone plane aliena esse videatur.[40]

Itaque in totius historiae commutatione etiam e regionibus Argolidis septentrionalibus ad meridionales, ab Heraeo ad Argos oppidum et Lernam, scaena fabulae translata est.

Fabulam Ius cum Danaidum fabula iam in *A* coniunctam idem passam esse demonstrare posse mihi videor, quo argumento illud, quod de Danaidum fabulae locis mutatis planum facere studui, non nihil adiuvatur. Io cum Iove concumbit apud Lernam; hoc enim dei iussum in somnis eam audientem facit Aeschylus Prom. 651 K (= 679 v.): *ἔξελθε πρὸς Λέρνης βαθὺν λειμῶνα.*[41] quocum convenit quod postea in vaccam mutata venit *πρὸς εὔποτόν τε Κερχνείας ῥέος Λέρνης ἄκρην τε.* Cenchreae[42] prope Lernam sitae

---

40. monumenta Argiva coniungo pleraque e Pausaniae Argolicis cruceque ea signo quae ad unam formam *B* quadrant.

I. Argis. 1) + Danaus templum Apollinis Lycii condit, postquam advenit et Gelanorem regno privavit: (Paus. II) 19,3. 2) aliud monumentum quod huc spectat: 19,7 (et Plut. Pyrrh. 32). 2) *αἴτιον* quod ad *Πρῶνα* pertinet: ibi Aeg. cum Danao agebat de pace: Eur. Or. 872 c. schol. 4—6) + de templis Veneris et de Criterio v. supra. 7) *Δαναοῦ μνῆμα*: 20,6 (*τάφος*: Strab. 371). 8) *μνῆμα Ὑπερμήστρας*: 21,2. 9) *τῶν Αἰγύπτου παίδων μνῆμα*: 24,2. 10) *θρόνος Δαναοῦ*: 19,5.

II. Lernae. 1) + templum Minervae Saïtidis a Danao dedicatum; 37,2 + 36,8. 2) + Veneris simulacrum a Danaidibus (potius opinor ab Hyperm.) positum: 37,2. 3) Lernae corpora Aegytiadarum sepeliuntur (capita Argis in urbe; contrarium legimus apud Apld. II. 22) *ἐν Λέρνῃ γὰρ ὁ φόνος ἐξειργάσθη τῶν νεανίσκων*: 24,2. 4) fons Amymone.

III *Ἀπόβαθμοι* (locus a Lerna ad meridiem situs). + ibi Danaus e nave egreditur: 38,4. cf. Plut. Pyrrh. 32, Danaum *κατὰ τὰ Πύραμα τῆς Θυρεάτιδος* ad terram appulisse dicentem, qui locus fortasse ab illo non diversus est.

41. Ov. met. I 597: pascua Lernae et Lyrcea arva.

erant. tum ex Inacho Sophocleo versum habemus (frg. 257 N²) *τραχὺς + χελώνης*[46] *κέρχνος ἐξανίσιαται,* in quo versu nomen illius loci a bovis mugiendo derivari mihi videtur. iisdem igitur locis et a Iove comprimitur et in bovem mutatur et ab Argo custoditur. aliter primitus. Io enim Iunonis sacerdos quin prope Heraeum a Iove praegnas facta sit, vix dubium esse potest. tum vero nulla causa erat cur prope Lernam pasceretur. in monte Euboea igitur vel non longe ab eo monte omnia gesta esse persuasum habeo. In ‚Aegimio' Ioni ea, quae in forma *A* in Argolide patitur, accidunt *νήσωι ἐν Ἀβαντίδι δίηι τὴν πρὶν Ἀβαντίδα κίκλησκον θεοί .... Εὔβοιαν δὲ βοὸς τότ᾽ ἐπώνυμον ὠνόμασεν Ζεύς.* Io filia Iasi[44] (cf. *Ἴασον Ἄργος*) vel Inachi vel Pirenis, quae ab Argo custoditur, ex Argolide in Euboeam translata est sive ab hominibus illuc emigrantibus sive a poeta Aegimii.[45] quod in Euboea insula pascitur (StB *Ἀργουρα*) ibique filium enititur, ita bene explicatur, si antea in monte Euboea[46] eadem passa est. — Et probatur fortasse hoc quod dixi vase aliquo r. f. picto,[47] in quo praesente sacerdote, h. e. prope Heraeum columna quoque significatum Argus interficitur.

42. *Κεγχρέαι*: *Κερχνεία = Κεγχρέαι* (portus Corinthiacus): *Κερχνίς* (Callim. h. IV 271) = *κέγχρος* (*εἶδος βοτάνης, ὀρνέου εἶδος, σπερμάτιον μελίνηι ἐμφερές* Hes.): *κέρχνη* (*τὸ ἐκ μελίνης ἕψημα καὶ ὀρνέου εἶδος* Hes.)

43. *χελύνης?* (a labro).

44. schol. σ 246 *ἀπὸ Ἰάσου τῆς Ἰοῦς· πρὸς τὴν αὐτὴν ....* sic emendo: *ἀπὸ Ἰάσου τῆς Ἰοῦς πατρός· τὴν αὐτήν ...*

45. in Aegimio utrum Io in Argolide nata errans in Euboeam venerit an in Euboea nata inde omnio egressa non sit, plane in obscuro positum et mera hariolatio est, quidquid de Euboea ‚altera Aegypto' et similibus rebus profertur. miseram insulam, quae non solum Aeygptus sed etiam Colchis sit!

46. ne dicas nomen generis feminini insulae magis idoneum esse quam monti, cf. Geraniam in Megaride sitam (*ὑπὸ τῶι ὄρει τῆι Γερανείαι*: Thuc. IV 70, *ἠερίη Γεράνεια*: AP VII 496). potes etiam ita rem explicare, ut statuas a nomine deae (Preller-Robert Gr. Myth. 161²) montem nominatum esse cl. exemplis quae Kretschmer, Einleitung 419, Usener Goetternamen 232, collegerunt.

47. Harward Studies XII 335. AJ XVIII 43 (vir baculo nisus non Iuppiter est, sed explendi spatii gratia additus).

Demonstrare studui utramque fabulam, quoad fieri potuit, ab Heraei regionibus in meridionalem Argolidis partem translatam esse.[48] iam fortasse diiudicare poterimus, utrum recte necne e fontibus fluviisque Argivis Danaidum Aegyptiadumque fabulam explicaverint docti. puellas enim ab initio fontium nymphas fuisse omnes perhibent, alii iuvenes quoque ad hoc genus explicandi trahentes aut fluvios esse autumant[49] aut eos quoque fontes, quorum capita seorsus sepulta (Apld. II 22) fontium capita[50] sint. sed tota haec argumentatio stare nequit. 1) propter ipsa loca. Danaides enim fontes Lernaei esse autumantur, ut in quibus Amymona exstet, forma autem *A*, si recte iudicavi, ad Heraeum pertinet, non ad meridionales Argolidis partes. 2) haec explicatio profecta est a forma posteriore *B*. sed in *A* omnia ex ipsa fabula explicantur, omnia ad hominum mores pertinent, neque quicquam suadet, ut aliunde, e natura, fontibus fluviis lucem arcessamus. 3) explicatio ipsa sensu caret. an quisquam hoc aliud esse atque verba vana censet fluvios a fontibus interfectos esse, vel fontes a fontibus, vel iuvenes a fontibus? sic igitur, ut saeculum est, fabulae originem indagare omnio non licet.

Tamen est aliquid in *B* Danaidibus cum fontibus. Amymone enim fontis Lernaei nomen est, Amymone in Danaidum numero occurrit. de qua quae apud Apollodorum et Hyginum scripta videmus ex Aeschyli Amy-

---

48. in cap. V, cuius adumbrationem in huius libelli fine addam, Perseum primitus Mycenaeum posteriore tempore Argivum factum esse probabam. — Licymnius, arcis Tirynthis eponymus, Argis sepulcrum habet (Paus. II 22,8. Plut. Pyrrh. 34) h. e. postea accepit. *Ναυπλιάδαι* tribus urbis Argorum in titulo a Guilelmo Vollgraff Argis effosso, a Wilamowitzio benigne mecum communicato.

49. Preller-Plew, Gr. Myth. II 46, Ed. Meyer Foschungen I 74.

50. Robert, Arch. Maerchen 198, Marx, Interpret. hexas (ind. lect. Rost. 1888/9) p. 8 sq. — cf. fab. neograeca apud Liebrecht, Beitr. zur Volkskunde p. 80 (Caïn a Lamech in venatione interfectus cum insepultus iaceret, ex capite eius fons male odoratus prosiluit, e quo deinde canes prodierunt).

mona fluxisse propter satyrum nemo persuasum non habet. satyro omisso aliisque testimoniis[51] arcessitis hoc efficitur fuisse prope Lernam locum quendam *Τρίαιναν* appellatum, sicut Erechthei cavernam tridentis vestigiis solo infixis memorabilem, e quibus fons Amymone prosiliebat. inde fabula exorta est Neptunum ibi cum Amymona concubuisse et, tridentem interea saxo infixum cum eripuisset, fontem prosilientem amatae dedisse. hanc Nauplium peperisse, eponymum portus Argolici.

Haec narratio per se stat et ad Danaidum historiam, quamquam cum ea iam in carmine epico coniunctam eam fuisse ex Aeschyli Amymona conlata cum Pindari Pyth. IX 113 (*τεσσαράκοντα καὶ ὀκτώ*) cognoscitur, 'postea demum accrevit, id quod ita solum intellegi potest, ut Amymonam statuamus a sororibus non diversam fuisse, praeterea fabulam de illa plane alienam in hominum, Naupliae credo incolarum, ore viguisse, hanc fabulam in ampliorem historiam inlatam esse, ut iam Amymona non sine quodam aequitatis et commoditatis damno inter sorores emineret. neque tamen nymphae fuerunt, sed Amymona virgo est aquatum missa, quae nisi specie fallimur fonti nomen reliquit. sequitur ut plane idem de sororibus olim narratum fuerit, quamquam hoc nunc una inter reliquas eminente aliquantum obscuratum est. quocum convenit schol. Eur. Phoen. 188: *Δαναοῦ θυγατέρες Ἵππη Ἀμυμώνη Φυσά*<*δεια*> . . . (cetera desunt), nam Physadia quoque fons Argivus est (Callim. h. V 47), Hippe de Aganippa monet. convenit fortasse etiam index apud Apollodorum obvius, quem e carmine epico sumptum esse nomina docere videntur fere omnia metro heroico apta[52]

---

51. Eur. Phoen. 185, schol. 187. — cf. Nonni Dionys. VIII 240 sqq.

52. ed. Wagner. p. 55: l. 10 *Κερχέτης*, l. 13 *Μενέμαχος* e coniecturis iisque falsis. — l. 13 *Ἀρχέλαος* = *Ἀρχέλεως* cf. Soph. eleg. fr. 1. (Hephaest. 8) et χ 241 cum χ 247. — l. 9 *Ἀραβία* = *Ἀρραβία* (sic cod) cf. Schulze quaest. ep. 153. — p. 56 l. 2 *Περισθένης* nomen aptum in casibus obliquis.

et in quorum ordine dimidii versus hic illic audiantur,[53] — e carmine haud novicio opinor,[54] cum vix verisimile sit posteriorum temporum poetam, cuius mythographi rationem haberent, talia commentum esse. in hoc quoque indice fontium nomina exstant, Pirene Glauce[55] Clite[56]; alia velut Automaten et nomina in -*ιππη* exeuntia eodem facile aliquis revocaverit.[57]

Discernimus igitur formae *B* duos gradus: 1) regis filiae aquatum missae fontibus nomina impertiunt, Amymone Physadia aliae. 2) Amymonae fabula a Danaidum historia aliena inculcatur. duo carmina requirimus; habemus ‚Danaidem‘ et ‚Catalogos‘, e quibus illam prioris, hos posterioris gradus esse haud dissimile veri est, siquidem Catalogi Danaide posteriores videntur esse.[58] iam traditur versus Hesiodius *Ἄργος ἄνυδρον ἐὸν Δαναὸς*[59] *ποίησεν ἔνυδρον* (frg. 24), qui cum ex oratione pedestri identidem eluceat, ubi Amymonae fabula volgaris adnectitur,[60] hanc Hesiodo tribuere

---

53. v. c. § 17. *Ἴστρος δ' Ἱπποδάμειαν | Χαῖτος δ' Ἀστερίαν* . . . . *Ἀλκήνωρ Ἱππομέδουσαν | Ἱπποθόος Γόργην Εὐχήνωρ Ἰφιμέδουσαν | Ἱππόλυτος δὲ Ῥόδην* etc.

54. quamquam non nulla nomina sane mira sunt, praecipue *Ἄρβηλος*. — *Δώριον* cave dicas hypocoristicon et propterea inferiorum temporum nomen esse. *Δώριον* oppidum *B* 594. *Δώριον ὄρος* in Caria Paus. VI 3,16.

55. fontes Corinthii; sed Lerna quoque et in Argolide et Corinthi (Paus. II 4,5. Diels, Laterculi Alexandrini p. 14) invenitur.

56. fons Cyzicenus.

57. in indice Apollodoreo complures latent errores, cum bis enumerentur Cleopatra Euhippe Hippodamia. — non nulla Danaidum nomina exstant in Marmore Pario (ep. 9) sed pleraque mutila. — Hygini catalogum mitto non modo graviter corruptum sed etiam ex variis fabulis consarcinatum (cf. Schwarz Jahrb. f. Ph. 147 p. 108). hoc maxime apparet in Cantho, qui ex uno Argonautarum catalogo arcessi potuit.

58. cf. Ed. Meyer, Forschungen I 70, 91.

59. *Ἄργος ἄνυδρον ἐὸν Δαναοὶ θέσαν Ἄργος ἔνυδρον*: sic versus traditur apud Strabonem (p. 371), coniunctus cum fabula pragmatica (*φρεωρυχία*!), quapropter dubito, num re vera ‚alterius recensionis‘ sit, cum praesertim ipse quoque (nisi verba *Ἄργος ἄνυδρον ἐόν* ex altero versu huc irrepsisse statuitur) formam posteriorem prae se ferat.

60. Eustath. 461,2: *μυθεύεται ἄνυδρόν ποτε εἶναι*[scil. *τὸ Ἄργος*] *ὕστε-*

ausus sim,[61] id quod coniecturae modo de Danaidibus prolatae favet.

Quodsi hucusque ad summam recte rem administravi, quaestio difficillima oboritur. exposui enim fuisse in *A* Danaidum apud inferos aquationem, fuisse in *B* fontium indagationem vel Danaidum viventium aquationem. *B* ex *A* orta est. itaque quod *ὑδρεία* et hic et illic invenitur, casui tribuere non licet, sed quo modo ambae *ὑδρεῖαι* cohaereant dispicere necesse est. atque haec quidem pronuntio: 1) mutationem ab uno certoque homine factam esse, ab eo scilicet qui formann *B* ex *A* effecit, non ortam esse in ore populi. 2) mutationem propterea factam esse, quia in *B* neque morte multari neque post mortem multari poterant Danaides. cur autem sic mutaverit ille, ubi quaerimus, ad meram coniecturam confugere necesse est. itaque si quis mihi hariolationem exprobrabit, non refragabor: si non dulce at certe necesse est hariolari in loco.

Complura molito haec fere ratio se praebuit, quae possit certe recta esse. si ponimus prope Lernam, ubi etiam postea Orci ostium erat et mysteria Cereris Proserpinae Bacchi agebantur, animas defunctorum sive omnium sive *τῶν ἀωροθανάτων* vel *ἀγάμων* versari, Danaides igitur ibi super terrae solum *τὰς ἀτελεῖς ὑδρείας* subire creditas esse, poteratne tota fabula in meridionales Argolidis regiones translata magnaque mutatione facta is, qui rationem humanam potius quam maiorum religionem sequeretur, talia confingere? id autem quod posui non absurdum esse is intelleget, qui recogitaverit non ab omnibus animas post mortem sub terrae solo versari perhibitas esse, sed etiam trans mare vel in

ρον μέντοι εὔυδρον γενέσθαι Ποσειδῶνος ἀναρρήξαντος τὰς ἐν Λέρνῃ πηγὰς διὰ τὸν τῆς Ἀμυμώνης ἔρωτα . . . . schol. A ad *Δ* 171: *ἄνυδρον οὖσαν τὴν Πελοπόννησον* [immo *τὸ Ἄργος*; doctrina Aristarchea!] *ἔφυδρον ἐποίησε Δαναὸς ἐξελθὼν ἀπὸ τῆς Αἰγύπτου καὶ οἰκήσας αὐτήν· τῶν γὰρ θυγατέρων αὐτοῦ ζητουσῶν ὑδρεύσασθαι μιᾶς αὐτῶν τῆς Ἀμυμώνης ἠράσθη Ποσειδῶν* . . . . Apld. II 13: *ἀνύδρου δὲ τῆς χώρας ὑπαρχούσης . . . τὰς θυγατέρας ὑδρευσομένας ἔπεμψε· μία δ' αὐτῶν Ἀμυμώνη* . . . .

regionibus terribilibus ipsius in qua vixerant terrae; praecipue vero certa genera mortuorum non ea qua ceteros apud inferos quiete frui, sed super terram errantes versari,[62] in his primis *ἀωροθανάτους*, quorum *ἄγαμοι* species sunt. ‚*Γελλὼ μὲν ἦν παρθένος καὶ ἐπειδὴ ἀώρως ἐτελεύτησεν, φασὶν οἱ Λέσβιοι αὐτῆς τὸ φάντασμα ἐπιφοιτᾶν ἐπὶ τὰ παιδία καὶ τοὺς τῶν ἀώρων θανάτους αὐτῇ ἀνατιθέασιν*‘.[63] similiter igitur non in Orco sub terra sito haurientes mihi fingo puellas, sed e fontibus Lernaeis; atque commodo nostro accedit, quod homines morum popularium studiosi etiam apud Germanos credi demonstraverunt animas eorum qui ante matrimonium mortui essent post mortem labores infinitos et inutiles certis locis supra terram sitis perferre.[64]

In fine repeto falso et sine causa idonea Danaides ab omnibus fontium nymphas fuisse creditas esse et credi.[65]

Paene omnia quae animo proposueram percurri, pauca addenda sunt, praecipue ne quis mihi obiciat — id quod factum est — nullum carmen vetus suppetere, quod formam

---

61. nam quod apud Eustathium versus Hesiodius fabulae pragmaticae adnectitur, inde cave quicquam concludas, cum sic ille demum diversa nexuerit.

62. cf. Rohde Psyche II 83. 411 sq.

63. Zenob. III 3 (*μέμνηται ταύτης Σαπφώ* [fr. 47]) cf. Suid. *Γελλοῦς παιδοφιλωτέρα*, Hes. *Γελλώ*. — a Dionysio Hal. de Thuc. 6 rerum scriptores Thucydide priores perstringuntur *λαμίας τινὰς ἱστοροῦντες ἐν ὕλαις καὶ νάπαις ἐκ γῆς ἀνιεμένας καὶ ναΐδας ἀμφιβίους ἐκ ταρτάρων ἐξιούσας.*

64. Ludwig Tobler, Kl. Schr. z. Volks-und Sprachkunde p. 135 (v. adn. 35); in Tirol müssen die alten jungfern bis zum jüngsten tage das Sterzinger Moos mit fingerspannen ausmessen. in der Schweiz findet sich die angabe, dass die alten jungfern auf den gletscher des schauerlich wilden Rottales kommen, wohin noch eine menge anderer unseliger geister verbannt werden. — die alten junggesellen kommen ebenfalls an bestimmte stellen; in Tirol auf den nahe am Sterzinger Moos liegenden Rosskopf, in Wallis in die Aucendakluft bei Gex, wo sie in durchlöcherten körben sand aus der Rhone zu berge tragen müssen, in Solothurn in den sogen. Affenwald.

cf. etiam Rohde Psyche II 392[3].

pristinam *A* continuerit. ‚Danaides‘ et ‚Catalogi‘ in censum non veniunt, neque magis ‚Aegimius‘; in ‚Phoronide‘ haud scio an etiam de Ione et Danaidibus narratum fuerit, quamquam de hac re nihil effici potest. sed in ‚Magnis Eoeis‘ Ius fabula fuit, ut ex frg. 146 (adsumpto schol. *β* 120) elucet.[66] Argus Panoptes in hoc carmine filius Mycenae fuit, unde, quoniam ab aliis alii eius parentes dicuntur (Apld. II 6), ut adpareat in hac re mutare nemini non licuisse, sequitur ut cum Mycenis aliquid ei fuerit, vel cum unum munus sustineat, ut prope Mycenas Ionem custodiverit. ad Magnam Eoeam igitur aptum est, quod Apld. II 6 refert: Argus *ἐκ τῆς ἐλαίας ἐδέσμευεν αὐτὴν ἥτις ἐν τῶι Μυκηναίων ὑπῆρχεν ἄλσει;*[67] neque minus huc facit, quod nomen Mycenarum a bovis mugiendo derivatur.[68] in Magna Eoea non prope Argos et Lernam sed prope Mycenas res geritur. iam reminiscere fabulae *A* in parte Argolidis septentrionali prope Heraeum fuisse locum supra me exposuisse. inter Heraeum et Mycenas duo montes sunt, qui hodie Evvia (=Euboea) et Szara appellantur.[69] quodsi damus non modo in Euboea sed etiam locis proximis res actas fuissse, non absonum videtur haec coniungere et formam *A* magnae Eoeae tribuere. quocum vel id quam optime conveniat, quod in stamno Vindobonensi, e quo

---

65. de iuvenibus haec addo: qui capita eorum Lernae sepulta (Apld II 22) fontes esse autumant, neglegunt Paus. II 24 2, ubi contrarium traditur. sed ut illis omnia concedamus, num sequitur ut inde tota fabula originem duxerit? minime vero! finge rumorem circumlatum fontes quosdam Lernaeos e capitibus hominum nescio quorum interfectorum prosiluisse (cf adn. 50). nonne adparet quam facile talis narratio cum Danaidum et Aegyptiadarum fabula coniungi potuerit?

66. hos locos recte coniunxit Ed. Meyer Forschungen I 98[1], qui etiam verbis ‚*ὡς ἐν κύκλωι φέρεται*‘ ne quid tribuatur recte monet.

67. Plinius XVI 239: ‚Argis olea etiam nunc durare dicitur, ad quam Io in vaccam mutatam Argus adligaverit.‘ dicat quis rursus hic duplicem apparere locum, de quo supra verba feci. mihi merus error subesse et una olea Mycenaea fuisse videtur.

68. St. B. *Μυκῆναι.* — cf. praeterea commentum Ps.-Plut. de fluvis 18,6: *Μυκῆναι δ' ἐκαλοῦντο τὸ πρότερον Ἄργιον ἀπὸ Ἄργου τοῦ πανόπτου.*

69. Steffens, Karten von Mykenai p. 37, tab. 1.

supra formam *A* elicui, olea depicta est, de qua vinculum vaccae nunc solutae dependet. — Itaque etsi haec ne certo demonstrem testimoniorum exiguitate prohibeor et me ipsum ingenue confiteor adhuc dubitare, tamen reticere nolui, quod potest rectum esse. sane Magnae Eoeae Catalogis posteriores esse perhibentur; sed diversissima sine dubio illo titulo comprehensa erant.

Finem totius disputationis faciam, cum quomodo tota fabula exorta mutata aucta sit in unum recolligam.

I. 1. Ionis fabula apud Heraeum exorta: Io Iunonis sacerdos a Iove compressa, a Iunone mutata, ab Argo custodita ,a Mercurio liberata, a Iove refecta, Epaphum parit. — 2. Danaidum fabula apud Heraeum exorta: Danaus (non Aegyptum sed) ‚fratrem' cum pueris expellit. ‚frater' cum adolescentibus revertitur. nuptiae. viri a novis nuptis necantur. Hypermestra, Iunonis sacerdos, Lynceo parcit, qui Danaum cum filiabus interficit. ἀτελεῖς ὑδρεῖαι.

II. Ionis et Danaidum fabulae coniunguntur. pater *L* puerorum, qui in aliquam terram emigrat et postea redit, Aegyptus appellatur et ad Nilum mittitur, sive quod iam antea Aegyptum ‚Danai' (non *L* quellarum patris!) fratrem esse autumaverat nescio quis ‚historicus', sive is qui hanc formam constituit suam opinionem historicam fabulae obtrusit, cum ‚terram' illam in quam 'frater' emigraverat Aegyptum ipsumque Aegyptum voluit esse. (forma *A*)

III. Iam Io in Aegyptum pervenit (errores adduntur) ita ut Danaus et Aegyptus in Aegyto nascantur. simul inculcatis fratribus Belo et Agenore Cadmus huic stemmati adiunctus est, is quoque ex orientis solis regionibus in Graeciam perveniens. — finis ita mutatur, ut puellae in vita maneant et aliis nubant. poena aeterna demitur. (forma *B*)

IV. Io Isis fit (in carmine Alexandrino).

Caput II.

Proetides — Melampodia — Aeoli progenies.

A. Proetides.

Bacchylides in c. X Ἀρτέμιδος Ἡμέρας templum Lusis in Arcadia situm a Proeto tradit votum et exstructum esse deae, quae filias a Iunone insania multatas refecisset. eadem Callimachus[1] (h. in Dian. 233). ab hac fabula Melampus, qui alibi Proetidas sànare solet, alienus est, quippe cuius vice dea fungatur. alienus inlatus est in eam narrationem, quam de fano Clitorio Pausanias (VIII 18,7) exhibet neque mirabilis ille fons Clitorius[2] iam inde ab initio virtutem suam per Melampodem accepisse credi potest.

Talia vero non de templo Arcadico solo ferebantur. Hesychius s. v. *ἀκρουχεῖ: ἄκρον ἔχει, ἄκρον δὲ ὄρος τῆς Ἀργείας ἐφ' οὗ Ἀρτέμιδος ἱερὸν ἱδρύσατο Μελάμπους καθάρας τὰς Προιτίδας [ἤγουν ταῖς χάρισιν (?)] Σοφοκλῆς Ἰφιγενείαι.* Vix dubitare licet, quin hic quoque dea ipsa puellas morbo liberaverit, quod si concesseris, etiam id concedes, Melampodem hinc non minus quam e fabula Clitoria removendum esse. nunciam adspice sis StB s. v. *Οἴνη· Οἰνωᾶτις Ἄρτεμις ἐν Οἰνώηι τῆς Ἀργείας ἱδρυμένη ὑπὸ Προίτου.* neque si praeterea huc revocaveris Pausaniae descriptionem (II 25,3): *Οἰνόης ὄρος ἐστὶν Ἀρτεμίσιον καὶ ἱερὸν Ἀρτέμιδος ἐπὶ κορυφῆι τοῦ ὄρους,* veri esse simile negabis hoc fanum et illud de quo apud Hesychium legimus unum idemque esse. deam Oeno-

---

1. Callimachus duo templa enumerat. *Ἀρτέμιδα Κορίαν* aliunde non novi. *Ἀθηνᾶς Κορίας* templum prope Clitorem situm commemorant: Paus. VIII 21,4. Cic. nat. deor. III 23,59. — dea *Κορία,* ut Wilamowitzius recte me monet.

2. ab Isigono (cf. Rose Anecd. Gr. I 9 sq. Rohde Acta Lips. I) pendent 1. Ps-Sotion 24 (Westermann Paradoxogr. 183): 2. Varro quo usi sunt Vitruvius VIII 3,21 et Ovidius met. XV 322. — praeterea Eudoxus apud StB *Ἀζανία*; StB *Λουσοί.* (fontem conmemorat sine aetio Phylarchus apud Athen. II 43 sq). simile aliquid de fonte Triphylio: Strab. p. 346, Paus. V 5, 9. 10 (Artemidorus).

atin vestustissimis temporibus in veneratione fuisse Herculis historia probatur, nescioque an cuiusquam momenti sit, quod Hercules et Proetus Tirynthius uterque cum eodem delubro coniuncti inveniuntur. — Has Artemisii Argivi origines in fabula Argiva Arcadicis priores esse adparet, cohaesisse quodammodo Oenoam et Lusos facile aliquis coniciat.

Varia de mulieribus Argivis furentibns feruntur:[3]

1.	2.	3.	4.	5.
Proetus rex.	Anaxagoras.	Proetus.	Proetus.	Proetus.
Proetides	mulieres	Proetides	Proetides	Proetides
a Junone	a Baccho	a Baccho		a Junone
	insania		multati	
a Diana	a Melampode		a Melampode	a Melampode
		sanati		

Formae 1 et 2 ab omni parte differunt. vel inde cum magna veri specie iudicare mihi videor, duas fabulas ab initio diversas statuendas esse, ceteras commixtas ex illis duabus. si quis unam fabulam primo fuisse, ceteras variis mutationibus ex illa ortas esse contendet, quem ad modum ortae sint illae mutationes haud facile enucleabit.

Eodem alia ratiocinatione paulo ampliore perveniemus. in fabula Anaxagorea (ut sic breviter formam 2, ‚Proeteam fabulam' ceteras formas nominem) Bacchus insaniae auctor est, in Proetea aut Bacchus aut Iuno. hanc autem in illius locum postmodo irrepsisse[4] propterea negandum, quia Proe-

3. varias narrationes distinxit fere Bethe Th. H. 46, 173. de Herod. IX 34 non recte videtur iudicare, in cuius contextu Anaxagoras potius quam Proetus subaudiendus est (*τῶν ἐν Ἄργει γυναικῶν μανεισέων — ἐμαίνοντο πλεῦνες τῶν γυναικῶν.* Proetides non nominantur).
1. fabula de qua adhuc egi ad formam puram redacta.
2. Paus. II 18,4. Diod. IV 68,4. (Apld. I 102, Herod. IX 34).
3. Hes. apud Apld. II 26 (frg. 27).
4. Apld. II 26—29. — Apollodorum Hesiodi argumentum reddere, h. e. „3" et „4" unam formam esse infra probabitur.
5. schol. *o* 225, Serv. ecl. VI 48.

4. sic Rohde Psyche II 50[4] (51). vWilamowitz (Goett. Gel. Anz. 1898 p. 132) in fabulam Bacchylideam Junonem pro Baccho, Dianam

tus rex Tirynthius est, Iuno Tirynthia autem a summa antiquitate in honore erat (Paus. II 17,5), quo id quoque fortasse spectat, quod Proetus Iunonis templum inter Sicyonem et Titanen condit (Paus. II 12,2). Bacchum vero Tirynthium non novimus. praeterea unus Hesiodus in Proetidum historia Bacchum agentem inducit, ceteri omnes, in his Acusilaus et Bacchylides, Iunonem. pristinam igitur historiae conformationem indagaturi Bacchum expellimus. similiter autem de Melampode iudicabimus, qui in fabula Anaxagorea unus medicus appellatur, in Proetea cum Diana. neque hoc omnino neglexerim, quod etiam in formam „1" paulatim irrepere coepit, id quod in huius capitis initio demonstravi, in tabula modo adpicta non significavi.

Sed de Melampode rem accuratius efficere studebo.

Cum fabula ‚Anaxagorea' cohaeret, quod Anaxagoridae in belli Thebani historia suum locum tenent[5]. per se enim nullius momenti est, utrum sub Anaxagora an sub alio rege sanentur mulieres, neque Bias quicquam agit, praeterquam quod a fratre regni tertia parte donatur. sed ideo omnia fiunt, ut praeparandi belli Thebani causa tres familiae Anaxagoridae Melampodidae Biantidae existant. in una igitur historia Anaxagoram invenimus, quem quo minus etiam alia nobis nunc ignota egisse aut mytho antiquissimo tribuendum esse arbitremur, forma nominis impedimur, quod a vetustioribus nominibus epicis et mythicis alienum potius ad posteriora tempora spectat et a poeta nescio quo has ipsas res narrante inventum est. At Proetus praeter eam de qua nunc agitur fabulam vivit vigetque: cum Acrisio certat Larisae propugnatore Tirynthis summus heros, in Bellerophontis historia obviam fit, complurium templorum conditor est.

pro Melampode inlatas esse censet — falso, si mea disputatio recta est.

5. Menaechmus Sicyonius in schol. Pind. Nem. 9,30; schol. Eur. Phoen. 180; schol. *B* 564. cf. Bethe Th. H. 43 sqq.

6. Proetus — Megapenthes — (Argius —) Anaxagoras — Hipponous — Capaneus — Sthenelus: schol. Eur. Phoen. 180, schol. *B* 564.

Proetus et Anaxagoras sic coniunguntur, ut ille huius avus vel proavus exstet[6], Proetidae igitur iidem sint, qui Anaxagoridae. iam quaeritur utrum Anaxagorae nomen postea inlatum sit propter temporum rationem — sic enim ii iudicaverunt, qui hanc quaestionem omnino tetigerunt[7] — an Anaxagorae stemmati stabilito postea Proeti stemma antepositum sit. vel ut idem aliis verbis promam: utrum, qui ab initio Proetidae fuerint, ii postea facti sint Anaxagoridae an contrarium acciderit. illud ubi falsum esse probavero, hoc ultro verum evadet.

Ponamus igitur de Proeto primitus, non de Anaxagora, actum fuisse: demonstrabo nullam causam fuisse futuram, cur mutatio fieret.

Proetus	Melampus	Bias
|	|	|
x	Antiphates	Perialces
|	|	|
y	Oicles	Talaus
|	|	|
Capaneus	Amphiaraus	Adrastus

poterat Proetus Capanei etiam avus poni; nam Bias et Melampus quoque aliis locis (schol. Aesch. Sept. 556 [= 522], Apld. I 103) non tribus sed duobus saeculis bello Thebaico antecedunt. poterat porro Proetus tertius ante Capaneum, Melampus secundus ante Amphiaraum exstare.

Proetum amplius a Capaneo removere ei demum necesse fuisset, qui acri temporum ratione inita repperisset inter Proetum et Capaneum quattuor nomina inserenda esse, quia Hercules, aequalis belli Thebani, quintus esset ab Acrisio fratre Proeti. sed quid stemma Herculis et Persei ad bellum Thebanum? quis talem rationem inire omnino potuit ante eum, qui et de Acrisii genere usque ad Herculem et de Proeti genere usque ad bellum Thebanum referebat, h. e. Hesiodum Catalogorum vel eius generis poetam? in poesi igitur genealogica Anaxagoram pro Proeto irrepsisse expec-

---

7. Rohde Ps. II 50[4]. Luebbert, diatr. in Pind. locum de Adr. (Bonn 1884). Kalkmann, Pausanias 149. — Bethe de hac re tacet.

taremus. at epos Thebanum, in quo Anaxagoras occurrit, Hesiodo antiquius esse nemo infitias ibit; deinde apud Hesiodum non Anaxagoram sed ipsum Proetum offendimus.

Sed damus hoc Proetum quintum a Capaneo fieri necesse fuisse. ne tunc quidem quisquam pro Proeto aliud nomen inferre coactus fuisset. poterat enim inter Melampodem et Amphiaraum tres vel quattuor nomina ponere, ut stemma Proeteum adaequaret. neque quo minus id faceret, stemmate Melampodio prohibebatur, quod fortasse post Melampodiam et Odysseam amplificationem recusabat, antea sine dubio firmiter stabilitum non erat.

Sed damus etiam hoc Amphiaraum nisi tertium a Melampode esse non potuisse; ne tum quidem quicquam mutari necesse erat. Capaneus quintus a Proeto est, Amphiaraus tertius a Melampode. pone Melampodem uno saeculo post Proetum socerum, ut Amphiaraus uno saeculo ante Capaneum exstet. nihil impedimento est, ne vates maior natu perhibeatur, quam vir ardore animi insignis.

Brevis ero qui fortasse iam copiosior fuerim; ut in Proeti Proetidumque locum Anaxagoras mulieresque Argivae succederent, nisi gravi causa et magna temporis computandi difficultat effici non poterat. talem difficultatem non fuisse intelleximus. itaque iam inde ab initio narratum est Anaxagora regnante mulieres insanientes a Melampode sanatas esse, Melampodem et Biantem singulas partes terrae accepisse, inde gentes Anaxagoridarum Melampodidarum Biantidarum originem ducere, quarum progenies ad bellum Thebanum profecta est.

In cyclo igitur belli Thebani haec fabula exoriri debebat, in cyclo Thebano Anaxagoras Melampus Bias suum locum habent, Proetus non habet. Melampus igitur et Bias ad fabulam Anaxagoream pertinent, quippe a quibus Melampodidae et Biantidae originem ducant. sequitur ut Proetiam fabulam quandam flagitemus, a qua Melampus et Bias alieni sint, alius medendi officio fungatur: sufficit id narrationis genus, quod supra e Bacchylide cognovimus et etiam aliun-

de enucleavimus. acriter igitur discernimus fabulam Anaxagoream a Proetea: ex hac eicimus Melampodem et argumentationis supra prolatae memores Bacchum, qui ex illa pro Diana et Iunone in hanc irrepserunt.

Hoc tenemus duas fabulas plane diversas variis illis narrationibus subesse. atque Proetea sine dubio profecta est ab Heraeo Tirynthio vetustissimo. quid autem velit cum recogito, *αἴτιον* mihi videtur subesse moris in cultu deae usitati, qui tamen quousque cum fabula conveniat alius aliter definiet. errant insanientes mulieres antistites[8], hoc summum est, in quo fabula sine dubio respondit vero. de qua insania fortasse paulo plura sciri possunt. hoc enim apud Vergilium (ecl. VI 48) reperio: ‚Proetides implerunt falsis mugitibus agros‘, quod genuinum et vetus esse mihi videtur et iam occurrere apud Bacchylidem ‚*φεῦγον δ' ὄρος εἰς τανίφυλλον σμερδαλέαν φωνὰν ἱεῖσαι*‘ (X 55). in boves igitur mutatas se esse credunt; vacca Iunonis sacra est ipsiusque deae prisca species. hoc pertinere crediderim ad illam religionis formam qua *βάκχοι σαβοι λαφύστιοι* sacerdotes vel homines venerabundi audiunt, vel etiam magis *Ταῦροι* Neptuni, *Ἄρκτοι* Brauroniae, *Μέλισσαι* Dianae, fortasse *Πῶλοι* Cereris[9], *Ὗς Δάματρος καὶ Κόρας* in titulo Theraeo[10].

Fortasse *αἴτιον* in hac fabula amplius patet; velut quod puellae Iunoni maledicunt[11], olim mihi in mentem venit sitne

---

8. sic audiunt apud Serv. Verg. buc. VI 48.

9. Rohde, Ps. II 14 sq. Usener, Goetternamen 358. Sam Wide Lakon Kulte 178 (CIG 1449).

10. IG XII, 3,418. mihi impertivit stud. phil. Neustadt.

11. de hac re varie refertur. patris domum deae templo praestare praedicant (Bacchyl. X 50, schol. *ο* 225, qui etiam eo congruunt, quod puellas pueritia excusant). aut vetus simulacrum ludibrio habent (Acusil. apud Apld. — similis historia refertur a Semo Delio: Athen. XIV 614). aut pulchriores se profitentur esse quam deam (Serv. Verg. ecl. VI 48, schol. Stat. III 453). aut, id quod ineptius est, aurum de veste deae detrahunt (Servius l. c.).

repetendum ex ludificationibus in cultu deorum obviis[12], et potest etiam Dianae medelam aliquis ad *αἴτιον* referre[13].

Fabulam Anaxagoream arte cohaerere cum belli Thebani historia, Anaxagoram Biantem Melampodem coniunctos esse ut trium gentium Argivarum conditores, exposuimus. atqui aut omnino inventam aut mutatam et auctam esse fabulam in illum usum utique statuendum. hoc si sequimur, restat a Baccho olim mulieres Argivas insania multatas esse. iam adi Apollodorum, qui in Bacchi historia (III 37) refert deum in Argolidem advenam mulieres, qui eum non venerarentur, insania adfecisse, ut in montibus errantes infantium carne vescerentur. bis igitur fabula tradita est et pura et in usum historiae belli Thebani amplificata[14].

Nunc fortasse de Agrioniis recte iudicabimus, quae et in Argolide et in Beoetia agebantur[15]. de illis duabus tantummodo glossis Hesychianis edocemur: *ἀγράνια· ἑορτή τις ἐν Ἄργει ἐπὶ μιᾷ τῶν Προίτου θυγατέρων.* — *ἀγριάνια· νεκύσια παρὰ Ἀργείοις καὶ ἀγῶνες ἐν Θήβαις.*— de feriis Boeotiis

---

12. Lobeck Agl. 689c. Usener Rh. M. 30,224.

13. Wilamowitzius mihi scribit: ‚fabula explicat cur Tirynthiae mulieres statis diebus per montes vagentur, donec Oenoam perveniant, Dianam colant, sanae redeant'. — ceterum Diana simile officium subit, cum a Furiis, quae *Μανίαι* in Arcadia audiunt (Paus. VIII 34,1), Orestam defendit (Pherec. in schol. Eur. Or. 1645). cf. Ps.-Plut. *περὶ ποταμῶν* 21,4. Nonni Dionys. XXXII, 100 sqq. — hoc loco moneo etiam ab Aesculapio Proetides sanari teste Polyarcho Cyrenaeo (schol. Eur. Alc. 1 et aliis locis: Muenzel, quaest. mythogr. p. 3 sqq.), fortasse etiam ab Apolline, cui fanum Proetus Sicyone dedicat: *τὰς γάρ οἱ γυναῖκας ἐνταῦθα τῆς μανίας παύσασθαι* (Paus. II 7,8 cf. Apld. II 29). quae cui aetati adscribam nescio.

14. nescio an ad similem fabulam pertineat, quod e Theopompo schol. Arist. Pac. 1071 refert, Bacidem *τῶν Λακεδαιμονίων τὰς γυναῖκας μανείσας* purgasse *Ἀπόλλωνος τούτοις τοῦτον καθαρτὴν δόντος.* quo forasse revocandae sunt *δύσμαιναι· αἱ ἐν Σπάρτῃ χορίτιδες βάκχαι* (Hesych. cf. Meineke Anal. Alex. 360). — praeterea inspice Aeliani VH III 42, Plut., qu. Gr. 51.

15. cf. Bergk, Beitr. z. gr. Monatskunde p. 49. Preller-Robert, Gr. M. 690 sq.

plura scimus[16]. Orchomeni enim Agroniis mulieres, *Αἰολεῖαι* nominatae, sacerdotem Bacchi fugiunt, qui gladio stricto fugientes persequitur. *Ψολόεις* viri propter vestimenta lugubria appellantur. *αἴτιον* hoc novimus: tres filiae Minyae operis nimium deditae adventum Bacchi neglexerunt et insania puniti filium unius dilaniaverunt. iisdem feriis mulieres Bacchum quaerentes errabant redibantque referentes illum ad Musas aufugisse.

Feriae Argivae cum Boeotiis congruunt nomine, praeterea eo quod alterae *νεκύσια* appellantur, alterae vestimenta lugubria exigunt. fortasse etiam quod in Boetia deum quaerunt cum more Argivo congruit, de quo Plutarchus (Is. et Os. c. 35): *Ἀργείοις δὲ βουγενὴς Διόνυσος ἐπίκλην ἐστίν, ἀνακαλοῦνται δ' αὐτὸν ὑπὸ σαλπίγγων ἐξ ὕδατος* (lacus Lernaei, cf. Paus. II 37,6) *ἐμβάλλοντες εἰς τὴν ἄβυσσον ἄρνα τῶι πυλαόχωι.*

Itaque quoniam *αἴτιον* Agrioniorum Boeotiorum ei narrationi Argivae simile est, quam supra Anaxagoream appellavi, et ad eam, quam Apollodorus III 36 narrat, eo magis accedit, quod in utraque matres puerum vel pueros dilacerant, sequitur ut hae fabulae Argivae inter se arte cognatae ad Agrionia Argiva pertineant.

Supra planum feci Proetidibus cum Baccho nihil fuisse; itaque ne cum Agrianiis eis quicquam est. quodsi apud Hesychium ille dies festus *ἐπὶ μιᾶι τῶν Προίτου θυγατέρων* agi dicitur, eadem perturbatio subest, quam supra deteximus. haec autem Proetis Iphinoe est, quae Melampodem sectatorem fugiens moritur (Apld. II 29). qui casus in fabulae forma Iunonia stare vix potest, habet suam vim in Bacchia et in aetio Agrioniorum; nam eo quod una puella mortua erat, sine dubio maesta illius festi natura explicabatur (cf. Hes.). hinc efficimus Hesiodum, qui Bacchum in fabulam Proetidum induxit, etiam Iphinoam invenisse, h. e. Agrioniorum *αἴτιον* inculcasse, et quoniam *Λυσίππη καὶ Ἰφινόη καὶ*

16. ad Agrionia Thebana pertinet titulus AM VII 349. — Orchomenia: Plut. qu. Gr. 38; Ant. Lib. 10; Ael. VH III 42; Ovid. met. IV 1.

Ἰφιάνασσα (Apld. II 26) e compluribus fontibus non fluxerunt,[17] haec nomina et tota Apollodori historia ex Hesiodo sumpta sunt, id quod iam alii coniecerunt, velut Bethe,[18] cui ratio medica Melampodis (ἔνθεος χορεία· ἀλαλαγμός) ad Bacchum spectare, tota igitur narratio ex Hesiodo fluxisse videtur. aliud argumentum addere e re erit. Probus enim ad Verg. Buc. VI 48 sic: ‚Proetides . . . . Hesiodus docet ex Proeto et Stheneboea Aphidantis natas'; Apollodorus: Προίτωι ἐκ Σθενεβοίας (γίγνονται) Λυσίππη κ.τ.λ., a quo nominum catalogo tota Apollodori narratio usque ad finem pendet.[19]

Unum addere placet de ea ratione, quae inter Minyadum fabulam et Argivas similes intercedit. tres Minyades Leucippe, Arsinoe, Alcathoe nominantur, Proetides Lysippe, Iphinoe, Iphianassa. haec nomina tam similia sunt, ut altera ad alterorum exemplum efficta esse pateat. Itaque feriae Argivae Boeotiaeque et fabulae ex his feriis exortae non solum ab initio inter se cognatae sunt, sed postea ab uno poeta nescio quo altera fabula in alterius similitudinem etiam artiorem redacta est. utra in utrius, facile perspicitur. nam tres Proetides ut res universae stent, ommino necessariae sunt, una ut moriatur, duae ut Melampodi et Bianti nubant;

---


17. hexametrum agnovit Wagner ad Apld., qui tamen male τε post Λυσίππη inseruit. praeterea formae nominum unam originem produnt. idem Minyadum nominibus conlatis probatur, v. infra! — narratio schol. ο 225 ab Hesiodo pendet. pro Baccho Iuno restituta simulque tertia Proetis omissa est, quae in una forma Bacchica suum locum habet.

18. ThH 174, qui tamen falso Herodotum adsciscit.


19. Num Hesiodus, qui fabulas Proeteam et Anaxagoream conglutinaverit, etiam Melampodem et Dianam ita coniunxerit, ut fecerunt posteri (v. p. 31), neque affirmare nec denegare possum. non ultimis temporibus hoc factum esse probari videtur vase Attico post saec. V medium picto (Mueller-Wieseler, Denkm. ant. K. I. 2,11. inde RML II 2573). hoc quoque Hesiodo si quis imputaverit, unum contra dici potest ad Sicyonem fugari puellas apud Apollodorum; sed potuit de templo Dianae Sicyonio narrari, quod et de Apollinis Sicyonio et de Dianae Lusio et Oenoensi narratur. etiam Bacchus formam Hesiodiam arguit in vase.

Minyades utrum plus tres an minus tres sint nihil refert. ex Proetidum igitur fabula Hesiodea aliquis poeta, quem epicum fuisse ex formis nominum conicias, *αἴτιον* Agrioniorum Boeotiorum mutavit et amplificavit.

Sed ab hac digressione redeuntes illud recordamur Hesiodum fabulam Proeteam („1") cum Anaxagorea („2") ita coniunxisse, ut ex hac in illam 1) Bacchum 2) Melampodem et Biantem 3) *αἴτιον* Agrioniorum transferret. hoc cur fecerit indagare conabimur.



ea pars stemmatis, quae ab Abante ad Herculem pertinet, a priscis temporibus stabilita erat. nam 1) Hercules in Aeschyli Prom. 774 decimus tertius est *ἀπὸ Ἰοῦς*, a qua usque ad Abantem septem *γενεαί* sunt. 2) hoc stemma apud Hesiodum[20] fuit:



quem ad modum Hesiodus Agenorem cum Belo coniunxerit, non adparet; sed quin suum stemma e volgari et simpliciore, in quo fratres illi sunt, de consulto mutaverit, vix dubium esse potest, cum praesertim qua rationa egerit effici

20. Hes. frg. 23 et 31. filiam Arabi Cassiepiam esse e schol. Ap. Rh. II 178 et Ant. Lib. 40 comperimus.

possit. in eo enim, quod simplicius et prius esse autumo, a Belo usque ad Troica XI γενεαί sunt (X ad Herculem); ab Agenore fratre usque ad Troica VIII vel IX (VII vel VIII ad Eteoclem), prout Cadmus aut filius Agenoris aut filius Phoenicis, Agenoris nepos, habetur. quod temporum discrimen ut exequaretur, Agenorem duobus saeculis Belo minorem reddidit. itaque iam fixum erat ab Ione ad Herculem stemma. Cum ea autem serie quae est ab Abante ad Herculem plane convenit nominum ab Abante ad Capaneum enumeratio, quam e schol. Eur. Phoen. 181 supra addidi.[21] simul lineolis significavi ex duabus partibus Proeti stemma constare, priore ad Persei fabulam posteriore ad belli Thebani historiam pertinente. aliquis igitur haec coniunxit. quem τὸν τοὺς καταλόγους fuisse veri videtur simillimum. nam Acrisii posteris ut exposuimus usque ad Herculem deductis vix potuit stemma Proeteum a Megapenthe finem facere, sed hoc quoque ad bellum Thebanum vel Troicum deducere necesse erat. iam tradita est series Proetea, quae Acrisioneae accurate respondeat. ea igitur quin Hesiodea sit vix dubitabitur.

Hoc autem si statuimus, intellegitur cur Hesiodus fabulam ‚Proeteam' cum ‚Anaxagorea' miscuerit. Anaxagoram enim Proeti stemmati addidit, quod eum fecisse veri simile esse duximus, quamquam cur fecerit non patet. itaque traditam memoriam secutus referre debuit de Proeti filiis a Iunone insania affectis, tum post paucas γενεάς de mulieribus Anaxagora regnante insania affectis, a Melampode sanatis. has duas fabulas in unam coalescere voluit non tam propter oeconomiam poeticam, nisi fallor, quam ratione ‚historica' ductus, cum duas formas eiusdem historiae ante oculos habere arbitraretur.

---

21. Megapenthes — Argius — Anaxagoras: Paus. II 18,4. in schol. *B* 564 deest Argius.

B. Melampodia.

Ad Melampodiam prope accessimus, quam reficere si potest fieri convenit. Quae hodie de illo carmine censeri videntur, a Markscheffelio[1] profecta sunt: fuisse in eo collectas complurium vatum varias fabulas. Ego probare conabor complexum esse fata gentis Melampodidarum.

De Calchantis a Troia reditu et quae cum eo reditu coniunguntur duplicem habemus memoriam;[2] alteram in Procli Nostorum argumento: Calchantem cum Leonteo et Polypoete terra Colophonem proficisci; ibi Calchantem mori et sepeliri. Calchantis cum Mopso certamen quin narratum fuerit, nemo dubitabit, utpote quod cum illius morte arte cohaereat. — In altera[3] etiam Amphilochus Calchantem, comitatur, Calchas a Mopso victus Colophone moritur, Mopsus cum Amphilocho per Asiam proficiscitur, ambo Mallum condunt. Amphilochus Argos vehitur, sed rerum domesticorum pertaesus Mallum redit. Mopsus eum recipere non vult. certatur.

Hoc certamen, quod e duorum heroum sepulcris Malli a diversis arcis partibus sitis[4] effictum credo, prius fuisse quam artificiosam illam historiam adparet. propter hoc enim unum, ut certamen fieri possit, Amphilochus Argos mittitur sine causa, sine causa rursus Argis egreditur.

Minus artificii praebet altera narratio, quae in una Apollodori epitoma (6,19) traditur: Ἀμφίλοχος[5] . . . . κατὰ τὸν[6]

1. Hesiodi etc. fragmenta p. 170. Immisch Klaros 169: ‚der ansicht Markscheffels . . . . fehlt nur wenig zur völligen sicherheit‘.

2. quae nunc exponam, ex parte iam vidit Immisch Klaros 167 sqq.

3. Strab. 642, 675/6. Apld. epit. 6,2 sqq. schol. Lyc. 440. (cf. Hdt. VII 91). — Tzetzes Lyc. 980 sicut 427 et 1047 bibliothecam compilat, sed ad v. 980 Amphilochum in comitibus Calchantis non recenset. adiunxit enim narrationem Apld. epit. 6,19, a qua Amphilochus Calchantis comes abest.

4. cf. Lycophr. 439 sqq.

5. quod ὁ Ἀλκμαίονος appellatur, nihili est: v. infra!

6. ‚τόν‘ rectissime, scilicet magnam illam ad Caphereum tempestatem.

χειμῶνα ἀπερρίφη πρὸς Μόψον, καὶ . . . ὑπὲρ τῆς βασιλείας μονομαχοῦντες ἀπέκτειναν ἀλλήλους. Amphilochus igitur non cum Calchante usque ad Colophonem, cum Mopso inde a Colophone iter facit, sed ipse navi vehitur, ad Pyramum iam Mopsum offendit; a quo contextu absunt quae supra demirati sumus: neque Mallo sine causa Argos vehitur, neque Argis sine causa Mallum redit. haec igitur narrationis forma prior est. sumpta autem est cum aliis epitomae partibus e Nostis, in quibus Calchas sine Amphilocho iter facit, in quibus ex illa tempestate multa pendent. atque huc facit Callini excerptum, quod Strabo pag. 668 praebet: Calchas Clari moritur, Mopsus cum hominibus eius in Pamphyliam et Ciliciam et Syriam migrat. Amphilochum cum optima causa omitti inde apparet, quod antea ex Herodoto et Amphilochus et Calchas nominantur. Callinus igitur Nostis usus est.[7] altera autem fabularum forma profecta est e Melampodia. nam apud Strabonem cum Melampodiae versibus[8] coniungitur; et, quod etiam maioris momenti est, in una Melampodia explicari potest, cur Amphilochus Melampodida cum Calchante Colophonem, deinde cum Mopso in Ciliciam proficiscatur.

Quid igitur iudicabimus de eo qui Melampodiam composuit? ante oculos habuit Nostos vel eam Nostorum partem, quae de Calchante, Amphilocho, Mopso erat. has narrationes ita mutavit, ut Amphilochum statim cum Calchante proficiscentem fingeret, qua mutatione facta etiam res Mallotidas in peius detorquere coactus est. haec cur fecerit poeta deliberanti statim apparet, in mente illi fuisse res Colophonias narrare, cui vatum memoria quam maxime cordi esset; narrare non potuisse nisi Amphilocho accito, et gravissima mutare maluisse quam Amphilocho carere.

---

7. schol. Dion. Per. 850 ea quae ex Nostis novimus et quae e Callino Nostis tribuimus coniuncta praebet.

8. occasione data adnoto falso a non nullis post v. 5 fragmenti Melampodiae lacunam statui. nam a Strabone Ἡσίοδος μέν affertur de ficu, Φερεκύδης δέ de sue, οἱ δέ (Nosti?) de ficu et sue.

Inde non sine magna veri similitudine efficere mihi videor, Melampodidarum historiam Melampodiae poetam enarasse, de ceteris vatibus ea modo quae cum illius gentis fatis coniungi possent.

Hoc iudicium flagitari mihi videtur fabula Colophonia, admitti omnibus quae praeterea de Melampodia scimus. nam verba Tiresiae praeclara *Ζεῦ πάτερ κτλ* (frg. 161) bello Thebano, altero ut opinor, pronuntiata sunt, quod quem ad modum cum Melampodidis cohaereat ultro perspicis. eadem autem occasione scurrilis illa inter Iovem et Iunonem contentio, cuius arbiter Tiresias adhibetur, *ἐν παρεκβάσει* proferri poterat, cui opinioni non paulum gravitatis accrescit inde, quod apud Apollodorum (III, 71/2) ipso illo loco exstat, quo in Melampodia exstitisse posui, in belli Thebani dico historia.[9]

Melampodiam igitur, argumentum fuisse rati fata Melampodidarum, quoad fieri potest, restituere conabimur. atque eo ordine quo tempora inter se excipiunt res narratas fuisse, non in modum Odysseae vel Aeneidis, nemo negabit; nam in carminum genealogicorum numero illa quoque recensenda est, etsi eo, quod vates celebrantur, singularem quandam speciem praebet. unum obesse videtur. adferuntur enim apud Athenaeum propter vocabulum quoddam deinceps fragmenta 165 et 166, illud ex altero libro Melampodiae, hoc verbis *καὶ πάλιν* additum. illud quid velit plane nescimus, hoc ad expeditionem Phylaceam pertinet. quam in altero libro vel etiam postea narratam fuisse neque credi neque certo ex illo Athenaei loco concludi potest. nam

---

9. *ἐν Κυλλήνῃ* serpentem occidit Tiresias, id quod mirum est in homine Thebano, ita ut alii Cithaeronem dixerint. T. Eueris filius est. idem nomen occurit inter Pterelai filios, quorum nomina ad libidinem conflata videntur esse [Chromius Pylius est, cf. cap. II C adn. 21]; praeterea in Herculis filiis enumeratur (Apld. II 166) *Παρθενόπης τῆς Στυμφήλου Εὐήρης*. in Arcadia igitur tenemus Tiresiam, qui aut Arcas non minus quam Beoetus fuit, aut natione Arcas a poetis Thebano factus est.

duo fragmenta ob causam grammaticam quandam exscripta sunt, neque in excerptis talibus ordo semper servatur[10] aut iis versibus, qui ad rem notissimam pertinebant, libri numerum addere necesse erat.

Nunc ad singula transeamus. de initio nihil sciri potest. non dubium est, quin Amythaon appellatus fuerit; quid de maioribus eius fatisque narratum, plane ignoramus.

Fragmento ad *Πηρούς μνηστείαν* pertinente nihil prius habemus, multa antea deesse non credo. fabula illa ex Magnis Eoeis[11] relata (frg. 149) eo differt a vulgari, quod de morbo Iphicli et medela Melampodis tacet. neque hoc casu fieri inde efficitur, quod in illa praesagit fore ut corruat domus Iphicli, hunc igitur e mortis periculo servat. in vulgari se ipsum non regem servat, rex de sapientia captivi per servos certior factus, sed nondum ipse ab eo adiutus, etiam morbum eum sanaturum sperat. — accedit alterum: in Eoea Iphiclus agit, in volgata Phylacus pro Iphiclo filio. illic uno rege opus erat, et Iphiclum et Phylacum inducere sensu carebat. hic Iphiclum *ἄπαιδα καὶ ἄγονον* non regnare, sed in patris potestate manuque esse paene necesse erat.

In Melampodia amplior narrationis forma exstabat. nam primum ex unis Magnis Eoeis forma brevior adfertur, deinde in Melampodia plura quam pauciora Melampodis facta exspectamus, tum in frg. 166 et Phylacus et Iphiclus nominantur, postremum bos in frg. 166[12] mactatus idem esse vi-

---

10. velut. Athen. III, 94: *Ἀριστοφάνης ἐν Ἱππεῦσιν* v. 300. *καὶ ἑξῆς* v. 160. *καὶ πάλιν* v. 356. *καὶ πάλιν* v. 1178. — Herodian I 182 L: *Φ* 346 *καὶ πάλιν* *E* 5.

11. totam ex Magnis Eoeis fluxisse narrationem, non primam modo partem, accuratius deliberanti planum fiet. narratio tam brevis quam accurata.

12. cur hodie editores Athenaei et ii qui Hesiodi fragm. colligunt *Μαντης* codd. lectionem itacismo corruptam retineant, non assequor: *μάντις* = Melampus (Rzach[1]: „*Μάντης* idem est qui *Μάντιος* dicitur in Homero *ο* 244.“ perverse! nam primum *Μάντιος* merum nomen est ad stemma explendum. tum nondum natus est. si natus sit, num credis cum comite Melampodem Phylacam iisse?)

detur, quem avibus vates distribuit (schol. λ 287; apud Apld I 101 duo boves sunt), ut de medela ab iis certior fiat. ampliorem autem formam ex simpliciore factam esse eo apparet, quod in hac domus corruens unice apta est, in illa quovis alio signo Melampus vatem se praebere poterat. quam amplificationem in Melampodia factam esse demonstrare non possumus, sed veri dissimile non est.

Is qui fabulam simplicem amplificavit, illam Iphicli medelam non ipse finxit, in qua fabulae popularis multa vestigia appareant.[13] sed fortasse initio non ad Iphiclum pertinuit medela.

In Melampodia sine dubio id quoque praemissum erat, quem ad modum Melampus anguium opera linguas animalium intellegere didicerit. hoc in Eoeae argumento legitur et paululo aliter apud Apollodorum, qui ampliorem quam in Melampodia agnovimus formam praebet.


Expeditio Phylacea ter narratur: 1) in Melampodia. 2) in Magna Eoea, quae nisi fallimur initium cepit a muliere mortali cum deo coniuncta, non a Perone sed a Tyrone. 3) in Necyia Odysseae, in qua quae sunt de Tyrone arte cohaerent cum iis, quae paulo postea de Nelei progenie referentur (235—259+281—297)[14]. Carmina 2 et 3 quam arte

---

13. aves convocantur; is qui respondere potest, non statim venit. cf. v. Hahn Griech. Märchen 15 (I, 138) 25 (I, 185) „darauf rief sie (die alte) alle vögel zusammen und fragte sie, ob einer von ihnen wisse wo die gläserne stadt sei, aber keiner wusste es . . . . . . ‚ich habe sie alle gerufen, nur den schnapphahn habe ich ausgelassen, weil er so schlecht zu fuss ist‘ . . . . .“ Cavallius-Steffens, Schwed. Märchen VIII (das schöne schloss östlich von der sonne). cf. Grimm KHM adn. 97. — de cultro arbori infixo cf. Mannhardt, Ant. Wald- und Feldkulte p. 30.

14. ita recte Duemmler Kl. Schr. II 397 sqq. — qui hanc dissertationem accurate pertractabit, primum errorem, e quo ceterorum magna pars oritur, esse de Maera (λ 326) intelleget. nam Proetum Argivum a Thebano non distinguit (p. 398[1]) et Maeram ad Melampodis fabulam refert. inde duae Melampodiae, inde Necyia Nostorum inter Melampodiam et Necyiam Odysseae posita.

cohaeserint ignoramus[15]. in parte C huius capitis probabo stemma Salmoneum Mileti coaluisse, carmen igitur 3 aut Milesium esse aut pendere e carmine Milesio. idem valet de 2. itaque ὁ τὴν Μελαμποδίαν, qui in expeditione Phylacea narranda eam, quae in 2 exstat, fabulae formam amplificavit, in hac parte carmine Milesio usus est vel carmine inde pendente, ut sic fere stemma caute (fuit enim fortasse simplicius) constituere liceat.



Sequuntur e temporum ordine quae de Tiresia sunt fragmenta (161, 162). haec nisi in belli Thebani qualicumque narratione non potuisse exstare in Melampodia, supra exposui; tenemus igitur Amphiaraum eiusque filios. Argivos tenemus, in illa autem de qua modo egimus Peronis fabula sine dubio non Argos transierunt Bias et Melampus, sed Pyli manserunt[16]. sequitur ut in Melampodia ex Elide in

---

15. similia videntur fuisse a) propter ambitum, b) propter formam expeditionis Phylaecae; in 2 enim unus Iphiclus nominatur, non Phylacus; neque hoc fit propter brevitatem argumenti, sed quia Phylacus plane supervacaneus esset. item λ 290 boves Iphicli sunt, 296 Iphiclus vatem solvit. contra in narrationibus vulgaribus Phylacus partes agit, idem in Melampodia, idem ο 231, qui versus cum antecedentibus et sequentibus ex alia atque λ memoria fluxit. — Duemmler 2 et 3 unum idemque fuisse carmen dixit, fortasse recte.

16. schol. et Eust. λ 287: Βίαντι γίγνονται παῖδες Περιάλκης καὶ Ἄρητος καὶ Ἀλφεσίβοια. Perialces ad Biantidas Argivos spectat (schol. *B* 565), sed Aretus opinor ad Pylios (i. e. Iones). Aretus filius Nestoris (γ 414). est etiam Troianus, *P* 494, sed Chromius qui iuxta nominatur demonstrat haec nomina Troiana e memoria Pylia (i. e. Ionica) esse desumpta. [Apln. Rh. I 118 hos Biantis filios enumerat: Talaum Areïum Leodocum; sed schol. λ ex Apollonio non licet mutare. nam 1) etiam cetera nomina non conveniunt, 2) Ἀρήϊος nominis proprii vice hoc uno loco fungitur. itaque si modo error subest, Apollonio tribuendus est, qui hauscio an in libro pedestri quodam APHIOC pro APHTOC invenerit.]

Argolidem transierint, qui transitus mulieribus a Melampode sanatis in memoria nostra fit, in Melampodia factus est.

In una Apollodori narratione et Melampus et Bias singulas Proeti filias uxores ducunt, ceteris locis[17] tantummodo Melampus, non sine causa, siquidem Bias iam in Elide Peronem in matrimonium accepit. narratio Apollodori bene cohaeret: tres Proetides nominantur, una obit, reliquae duae fratribus peregrinis nubunt. Apollodorus ex Hesiodo pendet, Hesiodo igitur duplex matrimonium tribuimus; hanc formam fabulae priorem esse, alteram adiuncta illa demum Elea fabula exstitisse, nemo negabit.

Hesiodus in hac quidem parte[18] Peronem ignorabat, quem fabulam Tirynthiam (a) Melampode et Biante omnino carentem cum fabula ad bellum Thebanum pertinente (b) coniunxisse cognovimus. ab hac igitur (b), ut de illa (a) taceam, Pero aliena erat; et quid ad bellum Thebanum res Pyli gestae? ὁ τὴν Μελαμποδίαν ante oculos habuit stemma Salmoneum (α), quod sine dubio in fine Pylum non excedebat, praeterea (β) carmen in quo trium gentium Argivarum origo exposita erat, sive carmen de bello Thebano aliquod ipsum (β 1) adhibuit sive ita mutatum, quale apud Hesiodum (β 2) legebatur. in hoc (β) num omnino aliunde in Argolidem venerint fratres, forsitan quispiam dubitaverit, (hoc enim poterat explicari, quo modo homines illi Argivi ad regnum pervenerint); si aliunde venerunt, Pylo eos venisse nemo demonstrare potest. in Melampodia igitur duae illae narrationes ita coniunctae sunt, ut Pylo egressi (α) mulieribus sanatis regnum sibi fratrique pepererit Melampus (β). reliquum est, ut quaeramus, utrum Hesiodum (β 1) compilaverit poeta an Hesiodi auctorem (β 2). atque quamquam certum iudicium ferre haud facile quisquam audebit, tamen hoc quam illud mihi quidem veri similius videtur esse. nam

17. schol. ο 225. Serv. Verg. Buc. VI 48. schol. Stat. Theb. III 453.

18. h. e. in stemmate Inacheo enarrando.

Hesiodus de Proetidibus in stemmate Inacheo enarrando referebat, quo uti (si propter temporum rationem omnino poterat) alienum erat a consilio τοῦ τὴν Μελαμποδίαν. immo is antea stemma Salmoneum adhibuit, postea de bellis Thebanis nescio quo modo verba fecit, ut ex harum rerum enarratione etiam in mulierum insanientium historia eum hausisse, non igitur de ‚Proetidibus', sed de ‚mulieribus' verba fecisse crediderim, praesertim cum Apollodorus post expeditionem Phylaceam ita relatam, qualis sine dubio in Melampodia fuit, sic pergat (I 102): ὡς δὲ τὰς ἐν Ἄργει γυναῖκας (non dicit τὰς Προίτου θυγατέρας) ἐξέμηνε Διόνυσος . . . .

De Antiphate Melampodis filio praeter nomen nihil scimus, de Oecleo nepote pauca. aut (a) cum Hercule ad Troiam profectus moritur, in ea huius historiae forma, quam Aeginetae e Rhodiaca effinxerunt (Apld. II 134), aut (b) superstes Alcmaeonem nepotem hospitio excipit errantem (III 87). hoc ad Melampodiam potius convenire quam illud primo obtutu adparet, atque totam in qua occurrit narrationem e Melampodia fluxisse infra planum fiet.

Oecleum excipit Amphiaraus. num fusius de bello Thebano actum fuerit ignoro, sed sciri fortasse de hac re plura poterunt, si quis post Bethium in totam illam memoriam inquisiverit; quod ego nondum potui facere.

A Tiresiae morte, quam verba eius in frg. 161 servata non multo temporis antecedebant, facile transitus parari poterat ad res Colophonias in Melampodia narratas, si Mantus Tiresiae filiae Delphos dedicatio, deinde Clarum adventus interponebatur. hoc tamen num re vera factum sit ignoramus.[19]

In Melampodia quippe in qua Melampodidarum res enar-

---

19. contendit hoc Immisch, Klaros § 8, sed non demonstravit. — praeteriens moneo paulo differre ea quae Pausanias VII 3 refert ab eis quae οἱ τὴν Θηβαΐδα γεγραφότες (sch. Ap. Rh. I 308): apud Pausaniam Manto a deo in Asiam missa Rhacio iam praesenti nubit, in altera memoria Rhacius casu Delphis moratur.

rarentur, necesse erat ut Amphilochi sic Alcmaeonis fratris facta referre. de Alcmaeonis autem vitae extremis temporibus traduntur haec. I) apud Thucydidem II 102: Alcmaeonem in Echinadibus insulis incoluisse, Acarnaniam a filio eius Acarnane nomen duxisse. — II 68: Amphilochum Amphiarai filium e bello Troico reversum inde ad sinum Ambracicum migrasse ibique Argos Amphilochicum condidisse.[20]

II) apud Ephorum (Strab. 325/6, 462): Alcmaeonem Acarnaniam expugnasse (a filii nomine appellatam) et Argos condidisse a fratris Amphilochi nomine Amphilochicum cognominatum.

Thucydidis utrumque locum ex uno fonte fluxisse vix quisquam negabit, cum praesertim apud Ephorum quoque et de Acarnania et de Amphilochia coniunctim agatur, Ephori autem auctorem a Thucydidis auctore pendere e discrimine in Amphilochia cognominanda obvio eluceat. Ephorum ex Alcmaeonide hausisse verisimile est.[21] Thucydidem e Melampodia non hausisse certum, cum quae Amphilochum ille facientem inducit non possint coniungi cum hoc carmine.

III) in tertia memoria cum Alcmaeonis apud Acheloum fatis coniunctae sunt res Psophidiae; is qui haec concinnavit profectus est sine dubio ab Alcmaeonis sepulcro Psophidio (Paus. VIII 24,7). errantem igitur non recta via ad Acheloum finxit venientem sed primo Psophidem, ubi a Phegeo purgatus filiam eius ducit; deinde ad Acheloum, qui iterum sanguinolentum purgat filiamque ei conlocat, tum rursus Psophidem, ut ibi mortem obiret. — haec memoria ab Euripide in ‚Alcmeone Psophidio', a Theodecta in ‚Alcmeone', ab eo, quem Accius in ‚Alphesiboea' barbare vortit, adhi-

---

20. idem Ps.-Scymnus 456/7. Paus. II 18,5. sine dubio etiam Hecataeus apud Strab. 271.

21. Immisch Klaros 183, Bethe ThH 131. — Thucydidem ex Epigonis pendere evincebat Bethe, sed cohaeret haec demonstratio cum ceteris omnibus, quae de horum carminum argumentis v. d. censuit. itaque ‚Thucydidis auctorem' malui dicere, quam ‚Epigonos'; de Alcmaeonidis autem fine multo simplicius et sine magnis ambagibus cum quadam verisimilitudine posse iudicari mihi videtur.

bita et a mythographis[22] recepta sine dubio e carmine epico[23] fluxit, quod ipsum quoque, sicut Ἀλκμαιονίς, Thucydidis auctore posterius erat.

In III Amphoterus et Acarnan filii Alcmaeonis sunt, qui duobis Phegei filiis adversantur. contra apud Thucydidem unus Acarnan nominatur neque aliter res se habet in II, quae memoria ab I pendet. itaque vix casu desideramus Amphoterum in I et II, praesertim cum non sit eponymus qualis Acarnan. quis ille Amphoterus sit, planum fit circumspectantibus ceteros hoc nomine praeditos paucos: novimus Amphoterum vatem Atheniensem ex Eupolidis Demis,[24] nominatur praeterea Amphoterus quidam ἐξηγητὴς τῶν πατρίων una cum Philochoro.[25] quodsi recogitabimus ἐξηγητὰς et μάντεις eosdem homines esse, illos Amphoteros Athenienses ex eadem vatum familia oriundos censebimus. haec autem familia in tanta nominis raritate ab illo Alcmaeonis filio secerni non potest. itaque ut Megistias Melampodida exercitum Lacedaemonium sequitur, Tisamenus et Hegias Iamidae Spartae civitate donantur, Callias Iamida a Crotoniatis praedia et sine dubio civitatem quoque accipit posteris mansura, Tellias Eleus in Phociorum exercitu adest, Amphilytus Acarnam,[26] quem Amphiarai Amphilochi Amphoteri cognatum fuisse e nomine et e patria concludo, Pisistratum adiuvat, — ita Amphoteri, Alcmaeonis filii, pronepos nescio quis Athe-

---

22. Apld. III 87—93. similiter Paus. VIII 24,8, mutatis tamen Phegei filiorum nominibus, quod discrimen explicare nequeo. ad finem quoque narrationis Pausanias paulo deflectit, usus fortasse ad has res enarrandas rerum Arcadiarum scriptore. — ceterum in nomine Alphesiboeae Pausanias cum Theodecta Accio Propertio (I 15,15) consentit contra Apollodorum, qui eam Arsinoam appellat.

23. Πρόνοος καὶ Ἀγήνωρ ⏑⏑ — ⏑⏑ — —.

24. fr. 211 K = schol. Ar. Pac. 1031: ἀμφότερος Ven.; nomen agnovit Herwerden, obs. crit. 26.

25. schol. Hes. Op. 888. — cf. vWilamowitz, Ar. u. Ath. I 280, II 428.

26. Herod. I 62. Atheniensis: Plat. Theag. 124d. Clem. strom. I p. 399 P.

nas opinor transmigravit. Alcmaeo igitur in I et II filium habet eponymum, in III duos filios, alterum eponymum alterum vatem et gentis vaticinationes exercentis proavum.

Clytidae vates Elei originem repetiverunt a Clytio Alcmaeonis ex Phegei filia filio.[27] ea ex cuius titulo hoc discimus statua non exstructa est post Ol. 154=164 a. Chr. n.,[27a] quam diu ante nescimus, et dubium est, num certis testimoniis[28] ultra hoc tempus ascendamus; sed minime veri simile talia sero excogitata esse.[29] Clyti igitur origo aut in memoria III aut secundum memoriam III conficta est. hoc quam illud mihi probabilius videtur, praesertim ne coniugium fabulare liberis egeat, id quod nisi certo consilio fieri non solet,[30] dein propter stemmatis concinnitatem casui vix tribuendam:

Alcmaeo

Amphoterus | Clytius

vates Acarnares | vates Elei.

27. Paus. VI 17,6.

27a. Kalkmann Pausanias 73 sqq.

28. exstat enim Chii phratria Clytidarum: BCH III 46 sqq., quam cognatam fuisse cum Clytidis Eleis e nominibus Chii obviis, Oicle (BCH III p. 54, p. 248. alterum titulum mihi monstravit Fr. Hiller de Gaertringen) et Amphotero (Bechtel, Inschr. d. ion. dial., tit. 177 [*στοιχηδόν*]) conicias. sed res plana non est; cf. Schoell, Sat. Sauppiana p. 170.

29. sane apud Herod. IX 33 ut verbum *Κλυτιάδην* cum Valckenaerio deleamus, ab animo quamvis aegre impetrandum. nam qui saec. III vel II Melampodidae erant, non poterant ex Iamidarum gente esse saec. V. (Wilam. Isyll. p. 180 non meminit Eperasti, Paus. VI 17,6). in posteriorum temporum inscriptionibus Olympicis Iamidae et Clytiadae semper discernuntur (cf. etiam Cic. de div. I 91: Posidon.). Pausanias autem — id quod magni momenti est — quamquam III 11,6 Herodoti vestigia premit, verbum *Κλυτιάδην* non exhibet. — St. B. *Τριφυλία . . . ἢ ἀπὸ Τριφύλης Κλυτίου μητρός.* hoc quid valeat nescio. (in schol. Eur. Or. 4 Plisthenis uxor non *Ἐριφύλη* sed *Τριφύλη* mihi videtur esse).

30. Accii Alcum. frg. I: ‚suos deseruit liberos.‘ — Hyg. 244: Phegeus Alphesiboeae filiae suae filiam <occidit> (sic Bunte. filium: Schmidt). singulare hoc quoque est, quod in f. 245 a Phegeo ipso Alcmaeo interfectus esse dicitur. in singulis sine dubio tragici mutaverunt.

In Melampodia fuit narratum de Alcmaeonis fatis postremis, de quibus tribus rationibus memoria videtur tradi, ita quidem, ut II et III pendeant ex I. desideramus historiam ad Melampodiam explendam, desideramus narrationibus illis carmina quibus possint tribui. neque I neque II prodierunt e Melampodia, restat III. haec autem memoria eo memorabilis est, quod Amphoterus e Callirrhoa natus, fortasse etiam Clytius e Phegei filia natus, vates vatumque posteris temporibus viventium proavi, in ea occurrunt. ei autem, qui Melampodiam composuit, vatum memoriam quam maxime cordi fuisse e fragmentis elucet eumque ad veras vatum gentes descendisse inde verisimile fit, quod iam Persicorum bellorum aetate Megistias Melampodida et, si recte supra conieci, iam sexto saeculo Amphilytus Melampodida obviam fit, haud ita multo opinor post carmen ipsum compositum.

Multum abest, ut in tanta testimoniorum penuria certum iudicium ferre audeam. hoc teneo: narrationem III quadrare ad Melampodiam, in qua Alcmaeonis finis relatus erat, et exstitisse ibi veri similius fieri propter vatum memoriam et in III et in Melampodia ubertim obviam.

Coniecturae coniecturam addimus a rebus Psophidiis in Euripidis ‚Alcmeone Psophidio' tractatis ad eiusdem *Ἀλκμέωνα τὸν διὰ Κορίνθου* transeuntes, cuius fabulae argumentum apud Apollodorum traditum (III 94/5) ab Euripide inventum esse totum multi opinantur[31], nemo probavit, ego minime credo. immo haec e tradita memoria eum sumpsisse opinor: 1) matrem Amphilochi (II) et Tisiphonae, Mantonem Tiresiae filiam. ea enim nihil videtur egisse in ipso dramate, neque erat, cur Euripides eam fuisse matrem fingeret, cum quaevis alia mulier hoc officio posset fungi. 2) quod res Corinthi aguntur, spectat ad colonias Corinthias in Acarnania et ad sinum Ambracium sitas; neque igitur poetae Atti-

---

31. Bethe ThH 130. — Immisch Klaros 188 Euripidem ex Alcmaeonide hausisse sine causis idoneis statuit; immo Euripides pugnat cum Ephoro. (in aliis quoque rebus multis Immisch errare mihi videtur, quae huc pertinent. quem quae ipse sentio expositis refutare studeo).

co haec tribuimus. 3) nomen *Τεισιφόνης* non ad versus iambicos sed ad dactylicos aptum in tragoedia aegre credo inventum esse. 4) *καὶ Ἀμφίλοχος κατὰ χρησμοὺς Ἀπόλλωνος Ἀμφιλοχικὸν Ἄργος ᾤκισεν.* haec sunt extrema argumenti verba. videtur igitur Apollo in fine prodiisse et futura vaticinatus esse. Euripides autem quamvis multa in tragoedi-is novaverit, in parte extrema ad res traditas reverti solet. neque ulla causa erat, cur Alcmaeonis filium si invenisset, Amphilochum appellaret aut contra memoriam Argos Amphilochicum eum condentem fingeret[32].

Itaque haec fere, quamquam ipsum argumentum sane tragoediam sapit, e tradita memoria sumpsisse videtur Euripides. iam de auctore eius haec praedicari possunt: 1) pendit ex ea narratione, quae apud Thucyd. II 68 exstat (supra I nominata), quam ita mutavit, ut Amphilochum Alcmaeonis filium pro Amphiarai filio poneret, quia 2) Amphilochi res in Asia gestas aut narrabat aut tangebat vel certe amimo clare et distincte obversatas habebat. 3) Mantonem Tiresiae filiam, non quamvis aliam, cum liberorum matrem esse voluit, sive ipsam sive familiam sibi cordi esse demonstravit.

In I et II earum quas supra distinxi narrationum et Acarnania et Amphilochia cognominabantur. in Melampo-

---

32. versus epici poetae ignoti, quibus Pindarus (fr. 43) et Theognis (215) utuntur (Athen. VII 317a e Clearcho, Antig. Caryst. 25, Zenob. I 24, Diogen. I 23; cf. Bergk PL^4 II 139): *πουλύποδός μοι, τέκνον, ἔχων νόον, Ἀμφίλοχ' ἥρως, τοῖσιν ἐφαρμόζου τῶν κεν κατὰ δῆμον ἵκηαι* (*ἄλλοτε δ' ἀλλοῖος τελέθειν καὶ χώρῃ ἕπεσθαι*) dicti sunt adulescenti vel iuveni. Amphiarai autem filius in arca Cypseli et in amphora Corinthiaca Berolin. 1655 puerulus est. praeterea dicti videntur non ab eo, qui patria egressus filium relinquit, sed qui, sicut Polonius, filium proficiscentem bonis consiliis prosequitur. utrumque me movet, ut ab Alcmaeone dictos esse coniciam filio Amphilocho II in Amphilochiam iter facturo. hoc si rectum est, Amphilochum II habemus extra Euripidis fabulam, habemus in carmine epico. cum Amphilocho II igitur ipso hos versus Melampodiae tribuerim. (*ὁ ποιητὴς* apud Antigonum non necessario Homerus intellegendus est, quem intellegunt Hiller Rh. M. 42, 339. Bethe ThH 56.)

dia Alcmaeonem fuisse certum, Acarnanem per se verisimile et etiam verisimilius, si quod de Apld. III 87—93 statui verisimile est. quodsi ponimus in Melampodia non minus quam in et I et II Amphilochiam cum Acarnania commemoratam fuisse, iam ea quae supra de ‚Alcmeonis Corinthii‘ auctore praedicavi ad hoc carmen quadrant. 1) enim ut in rebus Psophidiis memoriam I mutari et augeri diximus, sic *Ἀλκμέωνος τοῦ διὰ Κορίνθου* auctor Amphilochum filium Alcmaeonis pro fratre posuit. 2) Amphilochi res in Asia gestae in Melampodia fuse enarratae erant. 3) Manto filia Tiresiae mater Amphilochi II et Tisiphonae convenit cum more modoque Melampodiae, ut in qua vatum memoria diligenter culta et de Tiresia non una res narrata fuerit. — His igitur argumentis coniecturam meam, hausisse Euripidem in ‚Alcmeone Corinthio‘ e Melampodia, fulcire possum.

Usque ad Amphiarai filios et nepotes Melampodidarum gentem deduximus. nunc ad Melampodidarum brevem historiam accedamus, quae *ο* 222 sqq. exstat, a multis sine demonstratione ad Melampodiam relatam. iam cognovimus ne potuisse quidem haec aliunde provenire, quoniam ille ex Elide in Argolidem transitus coniunctis memoria Pylia et memoria Argiva in Melampodia prima factus est.

Melampodia qualem ego restitui vix ante a. 600 existere potuit. nam quae de Alcmaeone relata erant, pendent a Thucydidis auctore [32a], qui sua coloniis illis demum a Cypselo in Acarnania conditis pangere poterat. Telemachia ante Psammetichum exorta est [33]. nam postquam plures Graeci in Aegyptum iter facere soliti sunt, vix tam falsa de Phari insulae situ proferre poterat poeta (*δ* 351 sqq). Menelao a Proteo ad Aegyptum reverti iusso *κατεκλάσθη φίλον ἦτορ οὕνεκα μ᾽ αὖτις ἄνωγεν ἐπ᾽ ἠεροειδέα πόντον Αἴγυπτόνδ᾽ ἰέναι δολιχὴν ὁδὸν ἀργαλέην τε* (481 sqq). quod vero Aegyp-

---

32a. ab Epigonis? cf. adn. 21.

33. dissentio cum Ed. Meyer Gr. G. II § 264. (ex iis quae vDuhn, de Menelai itinere Aeg., acute disputavit de Telemachia, nihil fere mihi probavit.)

tus locuples (125) et πολυφάρμακος (288) appellatur, propter hoc non opus est infra medium saeculum VII descendere. Thebarum divitiae iam *I* 381 celebrantur et artes occultae potius populis minus notis tribuuntur. poeta situm fere Cypri Phoeniciae Aegypti novit; sed iam Sidonem, quam inter Aethiopes et Erembos ponat, minus novisse videtur. octo annos in maris interni parte ad orientem versa aliquem errare et nave, ut videtur, ad Aethiopes et Erembos venire posse arbitratur: δ 81 sqq, eademque de illis maris interni partibus inter Cretam Cyprum Aegyptum sitis opinio Nestoris verbis γ 318 sqq subest. ex iis regionibus, de quibus narrat, hic vel ille πόλλ' ἐπαληθείς in Ioniam redierat, sed nondum multi saepius in Aegyptum vehi solebant.[34]

Melampodia igitur post Telemachiam facta est. versibus ο 226 sqq Melampodia exprimitur. sequitur, ut locus ille non Telemachiae sed ‚compilatori' tribuendus sit. sed Theoclymenus ipse suum in Telemachia locum tenet[35] et in extrema parte, qua nunc caremus, etiam plura eum egisse paene certum est. itaque et Telemachia et Melampodia Theoclymeni personam habebant, haec eo stemmatis loco quo nunc in ο legimus, illa plane ignoto et fortasse ne in Melampodidis quidem. utrum ὁ τὴν Μελαμποδίαν Theoclymenum e Telemachia suo stemmati inseruerit an aliunde sumpserit, plane incertum neque cum fiduica difficultatem solvo, quae in temporibus Theoclymeni computandis laet.[36] hoc quoque ignoramus, a quo Theoclymenus in Telemachia originem duxerit.

Iam ad ea quae ‚compilator' Odysseae e Melampodia

---

34. plane alia de causa iam ante 700 Telemachiam Athenis notam fuisse opinatur vWilamowitz (Ar. u. Ath. II 72).

35. Wil. HU 94 sq.

36. Immisch Klaros 176, qui primus de difficultate videtur monuisse, apud Homerum lacunam statuit mirum in modum. — Duemmler Kl. Schr. II 399 rem ita solvere conatur, ut in Odysseam Theoclymenum ex Melampodia illatum esse contendat. — mihi videtur aut Theoclymenus in Melampodia non eadem aetate fuisse, quae in Odyssea,

excerpsit mentem advertamus. atque primum videmus confirmari id, quod de expeditionis Phylaceae forma, quae fuerit in Melampodia, supra conclusimus. in Magna Eoea enim et in Necyia, quae cum illa cohaeret, Iphiclus, in Melampodia Phylacus rex est, nondum filius eius, quod discrimen cum conformatione totius fabulae cohaeret. aspice *ο* 231; legis *ἐνὶ μεγάροις Φυλάκοιο.* — Praeterea haec ex Homero Melampodiae reddimus, quae alibi non leguntur: Melampodem absentem bonis a Neleo privatum esse, reversum ab illo poenas repetiisse, tum e patria egressum esse. quo modo ultus sit ignoramus; sed haec omnia inventa videntur esse, ut causa exstaret Melampodis Pylo Argos transmittendi, inventa igitur ab eo, qui Melampodiam composuit. — Polyphidem ex uno Homero novimus[37] itemque Clitum; sed de hoc fortasse aliquid dici potest. ab Aurora rapitur, similis igitur erat Orionis Cephali Tithoni, et ut Tithonus priusquam cum Troicorum regum stemmate coniungeretur sine dubio simpliciter Aurorae *ἐρώμενος* nescio a quibus hominibus habebatur, ita Clitum quoque arte quadam Melampodidis insertum esse iudico, id quod a Melampodidae poeta factum esse, si est ab aliquo factum, verisimile duco.

Relinquitur, ut de Polyido verba pauca faciamus, quem Coerani filium esse Pindarus (Ol. XIII 75) Sophocles (frg. 359) Pherecydes (schol. Townl. *Ν* 663) consentiunt, quemque Melampodidam ab aliquo factum esse ex his testimoniis elucet:

1) Melampus: Antiphates — Oicles — Amphiaraus — Alcmaeo; Abas — Coeranus — Ployidus — Euchenor (*Ν* 663)

Mel. — Abas — Lysimache ⌣ Talaus — Adrastus; Bias — Perialces — Talaus

---

(quamquam hoc quoque haud facile credas recte se habere, cum Polyphides uno saeculo Amphiarao maior post huius mortem quamvis immaturam [*ο* 246] clarissimus vates sit: *ο* 253) aut ‚compilatoris' error statuendus, id quod multo verisimilius arbitror esse.

nomina a Melampode usque ad Euchenorem sumpsi e Pausania[38], addidi seriem a Melampode ad Alcmaeonem cum illis convenientem. iuxta posui quod cum Polyidi cohaerere videtur stemma ex Apld. I 103[39].

2) *Φερεκύδης οὕτω γενεαλογεῖ· ἀπὸ Μελάμποδος Μάντιον, οὗ Κλεῖτον, οὗ Κοίρανον, οὗ Πολύϊδον* (cuius filii Euchenor et Clitus): schol. Townl. *N* 663[40].

3) e titulis saec. III[41] novimus familiam Gortyniam, in qua haec nomina florebant;

Ἀμυθάουν
|
Πολύιδος
/ \
Ἀμυθάουν *Ἀμφίλοχος*

Polyidus, qui iam apud Homerum (*N* 663) vates Corinthius est, aliquo tempore factus est Melampodida. inde autem quod non solum apud Pherecydem, sed etiam apud mythographos ex illo non pendentes Melampodidis adiunctus est, praeterea idem conexus subest familiae illius Gyrtoniae nominum seriei, necessario statuendum fuisse quendam magni nominis auctorem, quem omnes, quorum alterum ex altero haurire credere non licet[42], simili modo secuti sunt. hunc vero auctorem non fuisse Melampodiam, in qua Melampodidarum stemma conditum et vatum quam maximus

---

37. nam qui Polyphidem eundem putant quem Polyidum, hodie non opus est refutare. — novimus Polyphidem regem Sicyonium: Apld. epit. II 15 (e Tzetza). — e schol. *ο* 223 (*ἡ ἱστ. π. Φερεκύδῃ*) addiscimus uxorem Polyphidis Sariusam (?), fratrem Theoclymeni Harmonidam. de quibus praeter nomina nihil scimus.

38. I 43,5. nam alter locus e priore et universa memoria, cuius primus testis Homerus est, corrigendus: *τὸν Πολυΐδου τοῦ Κοιράνου*, id quod forte nondum factum videtur.

39. Perialcem propter tempora interposui e schol *B* 565.

40. temporum ratio difficilis.

41. monet de his WSchulze, quaest. ep. 118[4]: titulus Delphicus Collitz-Bechtel GDI 2599, Thessalicus 345,83. — Polyidus mechanicus Thessalus iam Philippi temporibus obvius est: Vitr. X 13, Athen. mech. p. 10 Wescher.

42. an putas Gortynios apud Pherecydem stemmata quaesivisse?

numerus ascitus erat, veri dissimillimum mihi quidem videtur[43].

Polyidus in Melampodia Melampodidis adiunctus erat, h. e. de Glauco Minois filio narrabatur (Apld. III 17—20). quem re vera Cretem fuisse nemo sibi persuadebit, qui recogitaverit in una hac historiola Minois filium eum appellari, praeterea nihil Cretae agere, nihil omnino agere. Glaucus igitur non Glauci causa exstat, sed Polyidi; mortuum et vitae redditum esse ibi narraverunt homines, ubi de Polyido narraverunt; praecipue Corinthi (*N* 663), fortasse Argis[44], praeterea Megaris[45]. et quamquam non magni momenti est, comme-

43. id stemma Polyidi quod supra sub numero 1) posui, aptum est ad Amphiarai stemma volgare h. e. ad Melampodiam. cui totum stemma tribuerem, nisi unum obstaret: *ο* 242 *γείνατο δ' Ἀντιφάτην καὶ Μάντιον υἷε κραταιώ.* neque igitur Abas Melampodis filius videtur fuisse in Melampodia. sed fortasse videtur tantummodo. nam ut hoc mittam potuisse ex alia uxore vel ex paelice Melampodi etiam plures filios nasci, hoc velim animadveratur ‚compilatorem' ut supra (adn. 36) dixi in Melampodia excerpenda videri errasse. itaque in ipso v. 242 potest error inesse, neque scio an contra Homeri auctoritatem sic recte reficiatur stemma:

```
                              Melampus
               ┌─────────────────┴─────────────────┐
           Antiphates                             Abas:
               |                              ┌────┴────┐
             Oicles                        Mantius   Coeranus
               |                          ┌───┴───┐       |
          Amphiaraus              Polyphides   Clitus   Polyidus
          ┌────┴────┐                  |                    |
      Alcmaeo   Amphilochus      Theoclymenus           Euchenor.      [Τρωικά]
```

44. schol. *E* 148. Clem. Strom. 399 P: *Πολύιδος ἐν Ἄργει καὶ ἐν Μεγάροις. οὗ μέμνηται ἡ τραγῳδία.*

45. Paus. I 43,5. cf. Wilam. Isyll. 177[33]. inde Byzantium translatus est: Dionys. Byz. cap. 14. — huc pertinere mihi videtur, quod plane singulare traditur in schol. Bern. ad Verg. buc. VI 48 (Fleckeisens Jahrb. Suppl. IV): Proetides sanatae sunt a Melampode Leustonis filio. (H. Hagen editor: ‚Leosth <enis vel Amytha> onis filio' nescio quo iure). cf. Dion Byz. cap. 63: sinus Lasthenes appellatus a viro Megarensi Lasthene. *Λεωσθένειον*: StB s. v. *Γυναικόςπολις.* idem *Σωσθένιον* appellatum apud Joh. Antioch. (FHG IV p. 548), ab Argonautis conditum, postea S. Michaelis fanum. Byzantium Megarensium colonia.

morare certe licet Glauci nomen in fabulis Corinthiis vigere. Glaucus igitur ab eo, qui fata eius primus carmine condidit (nulla enim alia forma traditur), Minois familiae insertus est; ab eo opinor qui Melampodiam conposuit, id quod cum mea de patria eius suspicione bene convenit. cur autem in Creta res collocata sit, fortasse sic fere recte explicatur, quod in Creta *μαντεία* et artes magicae quam maxime florebant, qua de causa etiam Epimenides, heros ab origine Atticus, Cres factus est. itaque cum ne Cretenses quidem vates mortuum invenire aut Curetum aenigma solvere possent, quam vehementer augebatur gloria vatis Corinthii Melampodidae, qui unus mandatis stetit.

Obiter moneo quam magna similitudo inter huius historiae tenorem et expeditionis Phylaceae ampliorem formam, h. e. formam ex Melampodia profectam, intercedat: in utraque enim fabula is, qui summam rei gerit, antea sese unice aptum praebet, hic cum aenigma solvit, ille cum domus ut corruat for vaticinatur.

Exstat praeterea Polyidus vates in ea de Pegaso capto narratione, quae ad fanum Minervae Chalinitidis Corinthium pertinet: Pind. Ol. XIII. vatem paene supervacaneum non Pindarus addidit sed Pindari auctor, *ὁ τὴν Μελαμποδίαν* opinor, cui aetium templi Corinthii bene convenit, ut mox elucebit. — Sane res nemini potest probari, sed fortasse huic vel illi coniectura mea placebit.

Quoniam ad finem perveni, graviora ex iis quae aut probabilia aut veri non dissimilia statui, tabula composita ecolligo.

res traditae	auctores	propria
Amythao-Melampus expeditio Phylacea	carmen Milesium	addidit Iphicli medelam
mulieres Argis sanantur.	carmen de bello Thebano	
Amphiaraus. bellum Thebanum.	carmen de bello Thebano	
Calchantis mors. Amphilochus.	Nosti	mutavit in suum usum
Alcmaeo.	(Ἐπίγονοι).[46]	Amphilochum II invenit. res Psophidias addidit. Amphoterum et Clytium vates addidit. Glaucum et Polyidum addidit.

Ex hac tabula efficitur poetam ea, quae de rebus in Asia gestis novit, e Nostis carmine ab hac quidem parte Colophonio recepisse, nihil igitur esse, cur eum in Asia censeamus oriundum fuisse.[47] immo ex iis quibus ipse tradita auxit elucere mihi videtur fuisse eum Pelonnesiacum. cognitum habebat Alcmaeonis sepulcrum Psophide situm, noverat Clytium vatem Eleum, Amphoterum vatem Acarnanem; res Acarnanes in primis ei cordi videntur fuisse. itaque Corinthium eum putaverim, cui opinioni id quoque favet, quod de Polyido supra conieci. atque bene convenit, quod apud eum qui Odysseam nostram composuit, quem Corinthi degisse Wilamowitzius evicit,[48] tantum valuit Melampodiae auctoritas ut ex ea Theoclymeni stemma in Telemachiam inculcaret.

Facta est Melampodia Corinthi certe non ante Ol. 40.

46. cf. adn. 21.

47. errat igitur Wil. HU 178.

48. ,in dem Kulturkreise von Korinth oder allenfalls Euboia: Wil. HU 34 sqq. haec argumenta addo: 1) Mentem ille Taphium esse vult (*α* 105, cf. *P* 73), 2) *ο* 426 Ἀρύβας nomen Epiroticum.

G. Aeoli progenies.

Si forte hanc partem perlegere tibi in animo est, suadeo tibi, ut stemma Aeolideum in charta tibi struas!

§ 1. Pelias et Neleus gemini Tyronis et Neptuni filii sunt. ille, cum universa progenie ad Thessaliam pertinet, hic cum universa progenie ad Pylum. tamen eodem loco eos nasci necesse est, aut (a) in Thessalia — tum Neleus in Peloponnesum migrare cogitur;[1] aut (b) in Poloponneso — tum Pelias in Thessaliam migrare cogitur;[2] illud quia Tyro filios Neptuni enixa Cretheo Thessalo nubit, hoc quia Tyronis pater Salmoneus eponymus est urbis Salmonae in Elide sitae. illa forma (a) in Peloponneso nata non est. neque enim poterant Pylii credere filiam viri Elei heroem Pylium in Thessalia genuisse, genuisse propter hominum Thessalorum memoriam, quam illi non curabant. neque Thessali e Peloponneso oriundam esse gentem Thessalam. sed forma ‚a' non magis in Thessalia orta est aut ‚b' in Peloponeso. neque enim illic narrare poterant de gente Pylia, cuius proavus nihil in Thessalia gessisset, nisi ut inde egrederetur; neque hic de gente Thessalica, cuius proavus nihil in Peloponneso egisset, nisi ut inde egrederetur. — Nam hoc velim recogites non agi de Neleo, non de Pelia; sed agi de Neleo eiusque progenie; agi vel de Acasto vel de Alcestide vel de Peliadibus Argonautarumque expeditione vel de his omnibus. Non fuerunt in memoria Thessalica Salmoneus, Neleus, Nelidae, non in memoria Pylia Pelias eiusque posteri eorumque fabulae; sed tertio loco haec inter se diversissima coniuncta sunt; eo loco, quo memoria Pylia cum Thessalica misceretur.

§ 2. Transeo ad tres filios e Tyrone et Cretheo procreatos: similem rursus rem reperimus atque antea. Aeso enim et Pheres cum nominibus progenie fabulis ad Thessaliam pertinent, Amytaonis progenies ad Pylum. itaque aut

———————

1. Hellan. frg. 64 in schol γ 4. Apld. I 93.
2. Diod. VI 7; haec forma hauscio an novicia sit.

Amythao Pylum emigrat (Apld. I 96) aut filii eius una cum Neleo Pylum emigrant (Diod. IV 68); discrimine nullo, cum nos quidem de illo praeter nomen nihil fere sciamus.

De hac stemmatis parte, quamquam fratres paulo minus arte inter se coniunguntur, idem quod de parte priore iudicare in proclivi est.

§ 3. Pelias Neleus — Aeso Pheres Amythao: illos duos cum his tribus non casu coniungi (iam in λ Odysseae coniunguntur) facile demonstratur.

a. Amythaonis filii cum Neleo eo cohaerent, quod Melampus pro Biante filiam Nelei adpiscitur.

b. Aeso cum Pelia eo cohaeret, quod filius illius ab hoc expditionem Colchicam suscipere cogitur.

c. Pheres cum Pelia eo cohaeret, quod illius filius Admetus huius filiam ducit.

Ita demonstatur non casu sed certo consilio in utraque stemmatis Salmonei parte, de quibus in §§ 1 et 2 egi, nomina Pylia cum Thessalicis coniungi.

§ 4. Repeto quod dixi: neque Pyli neque in Thessalia potuisse hoc stemma existere, sed eo loco quo memoria Pylia et Thessalica confluerent. hoc vero non video ubi fieri potuerit, nisi in Ionia, cuius reges a Neleo originem ducebant, ubi Argonutorum fabula exculta est, de qua Peliae et Aesonis nominibus monemur. statim vero non audacius sed accuratius Miletum pro Ionia iure ponere mihi videor.

a. Neleus. — ex omnibus urbibus Ionicis[3] una Miletus a Neleo condita est, cuius sepulcrum ante moenia, cuius ara ad Posidium commonstrabantur.[4] praeterea tota Ionia a Neleo condita esse ab his illis dicebatur,[5] quae

3. plerasque de quibus nunc ago res conlectas invenies a Busoltio Hist. Gr. I² 303 sq.

4. Paus. VII 2,6; Strab. 633. cf. Plut. mul. virt. 16 p. 253 sq: *οὔσης ἑορτῆς Ἀρτέμιδι καὶ θυσιας παρὰ Μιλησίοις, ἣν* (deam, opinor; cf. Callim. III 225) *Νηληΐδα προσαγορεύουσιν..*

5. Marm. Par. 27, schol. Plat. symp. 208d, et nisi fallor Hellanicus apud Harpocr. s. v. *Ἐρυθραῖοι.*

fama quin a Milesiis profecta sit, nullus dubito.[6] ceterae enim urbes suum quaeque conditorem habebant, qui omnes Nelei fratres, Codri filii sunt. unam Prienam, quae proxima est Mileto, Αἴπυτος Νηλέως incoluit. — Iam certissimum est e vetustiore memoria Colophonem ab Andraemone Pylio, e posteriore Lebedum ab Andraemone Codri Atheniensis filio conditam esse;[8] neque minus certum Neleum, Codri filium posteriore tempore e Neleo Neptuni filio effictum et Mileti conditorem factum esse,[8] ut sic fere stemma evaderet:

Neleus Neptuni f.

|

Codrus

Neleus Androclus Cydrelus Andraemo

sequitur ut ne potuerint quidem initio Nelidae[9] esse Ionicarum urbium κτίσται. nam filios Nelei conditoris Mileti (praeter Prienenses) fieri se numquam passi sunt Androcli Andraemones Naccli ceteri. si modo coniuncti erant cum Neleo (quod minime certum est, de Cnopo, ut hunc adferam, vix credibile), non posteri eius erant, non erant Nelidae.

b. Pelias. —

α. filiam Alcestidem ei se daturum pollicetur, qui leonem et aprum sub unum iugum coëgisset, id quod Admetus Pheretis f. (cf. § 3 c) Apolline iuvante efficit. simillimam fabulam de Cadmo circumlatam esse e vase n. f. ornato discimus, in quo Κάσσμος et Ἁρμονία leone et apro ve-

---

6. cf. Ed. Meyer Gr. G. II § 157. — aspice etiam eiusdem adn. ad. §151. ubi ex illis, quae in hac parte II C expono, non pauca eum divinasse video.

7. Mimnermus ap. Strab. 633 et 634. — Paus. VII 3,5.

8. cf. Toepffer Att. Gen. 235 sq.

9. Νηλεῖδαι stirps regia Milesia: Parthen. 14, Nicol. Dam. frg. 54 (cf. Ap. Rh. I 959). poterant praeterea hoc nomine omnes Iones appellari; sed ceterarum urbium reges Ἀνδροκλεῖδαι, Κοδρίδαι, Βασιλίδαι nominabantur, non Νηλεῖδαι nisi fallor.

huntur, Ἀπόλον currum comitatur.[10] Cadmi fabula Mileti exculta est.

β. Pelias arte cohaeret cum Argonautarum expeditione (cf. § 3 b) h. e. cum poesi Milesia (κ et μ Odysseae pendent ab Argonautarum historia Milesia).

c. Tyro. — Tyro Enipei fluvii amore inflammata a Neptuno Enipei formam ementito comprimitur. Ποσειδῶν Ἐνιπεύς Mileti colitur, nusquam quod sciamus praeter Miletum![11]

§ 5. λ 235—259 nihil continent quod non sit Milesium; cum his autem λ 281—291 artissime cahaerent,[12] ut in quibus utraque stirps gentis Salmoneae propagetur. itaque ne hi quidem Milesii esse nequeunt, atque convenit quod Peronis nomen redit in migrationis Ionicae historia: Πειρώ vel Πηρώ Nelei ‚minoris‘ filia est, quae ἀσελγαίνουσα haec iactat: δίζεο δίζεο δὴ μέγαν ἄνδρα Ἀθηναῖον, ὅς σ' ἐπὶ Μίλητον (!) κατάξει πήματα Καρσίν.[13]

§ 6. Stemma Salmoneum Milesium esse probabam; cum quo Cretheus tam arte cohaeret, ut non possit secerni. itaque cum duo Aeoli filii ad fabulas Milesias pertineant — Κρηθεὺς Αἰολίδης λ 237 — fundamentum stemmatis Aeolidarum iactum est Mileti. inquirendum igitur in ceteros Aeoli filios, quos nobis primus coniunctos praebet Hesiodus (frg. 7).

§ 7. Sisyphus. — Herod. I 147 cum dicit in non nullis oppidis Ioniae reges esse Λυκίους ἀπὸ Γλαύκου τοῦ Ἱππολόχου γεγονότας, ante oculos habet Sarpedonis stemma in Z Iliadis obvium. hoc igitur exortum est in urbe aliqua Ionica, in qua Sisyphidae regnabant. duas urbes cognitas habemus, quibus Herodoti verba conveniant. Magnesiam ad Maeandrum sitam condidit Λεύκιππος Ξανθίου παῖς γένος τῶν

———

10. Wiener Vorlegebl. C 7, Wilam. Isyll. 187, ‚die bestien sind . . asiatische reminiscenzen‘. Crusius RML II 841.

11. schol. Lycophr. 722. Preller-Robert Gr. M. 573[1].

12. ita recte Duemmler, Kl. Schr. II 397 sqq.

13. EtM. s. v. ἀσελγαίνειν. versus mutili et corrupti, cf. Wil. Her. I[1] 58.

ἀπὸ Βελλεροφόντου (Parthen. c. V); hunc vero postea demum illi genti adiunctum esse elucere mihi inde videtur, quod neque pater neque filius in stemmate Homerico exstant, praeterea quod Leucippus etiam alibi[14] urbium conditor est. Leucippus igitur conditor Magnesiae prius fuit, quam Sisyphida factus est. praeter Magnesiam autem in censum venit Miletus a Sarpedone condita (Ephorus ap. Strab. 634). Mileti igitur Sarpedo, conditor urbis et regum proavus,[15] stemmati Sisyphidarum ex Graecis et Lyciis commixto insertus est.[16]

§ 8. Perieres filius Aeoli aut Cynortae est (Apld. I 87, III 117. 123); in progenie eius nihil reperio, quod ex Ionia repeti possit debeatve. sed *Π* 177 Borus quidam commemoratur, filius Perieris, de cuius patre nihil pronuntiatur. Borus eponymus est tribus *Βωρέων*,[17] *Βωρεῖς* vero occurrunt 1) Mileti et Cyzici 2) Perinthi, Samo sine dubio recepti 3) Ephesi. itaque haud scio an hic conexus quidam lateat.

§ 9. Athamas non solum Aeoli filius est, sed etiam Minyae (schol. Ap. Rh. I 230). Teïus est, sed eo quod in Argonautarum fabula suum locum habet, ad Miletum potest pertinere. fortasse igitur qui Tei Minyae filius fuit, Mileti Aeolidis additus est.

§ 10. Ex iis quos Hesiodus (frg. 7) enumerat Aeoli filiis Salmoneum Cretheum Sisyphum certa vestigia secuti Mileti conlocavimus, Perieres et Athamas certe non refragantur. alii ab Apollodoro adiciuntur, e quibus Magnetem

---

14. velut Melaponti: Strab. 265, fortasse Rhodi: Diod. V 81,8.

15. *οἱ δὲ καὶ συναμφοτέρους* Herodotum (I 147) Milesios dicere omnes consentiunt. certerum cf. Robert, Bild u. Lied 117 sqq.

16. commemorare lubet, *Π* 317 sqq cum Antilocho et Thrasymede Nestoris filiis pugnare Atymnium et Maridem filios Amisodari, qui Chimaeram eduxit. hoc monstro monemur de Bellerophonta Sisyphidarumque stemmate; Nestoris filii Nelidae sunt, h. e. Iones vel potius Milesii. — *E* 580 Antilochus Mydonem Atymni f. interficit.

17. cf. vWilamowitz in Actis Acad. Berol. 1904 p. 622. (Borus non ipse dux est, sed ducis pater!)

(I 88) omittimus, quem Hesiodus aliter γενεαλογεῖ. sed Deionem quo loco posuerit Hesiodus nescimus.

Deion(eus): Cephalus, Phylacus — Phylacus: Iphiclus
Deion — Cephalus — Iphiclus

sinistrum stemma volgare est; dextrum, singulare et fortasse ex altero mutatum, fuit in Nostis (Paus. X 29,6 in Leschae descriptione). Iphiclus Phylaci filius suum locum tenet in Perus fabula (cf. § 5), hoc est in fabula Milesia. — Accedit aliud: Deionis filia est Philonis, mater Autolyci (schol. τ 432). bis Autolyci nomen in historia fabulari occurrit. alter (a) clarissimus fur est. hic ducit Neaeram (Paus. VIII 4,6), cuius nomen praeterea Solis uxor fert μ 132 in carmine Milesio (κμ pendent ex Argonautarum fabula Milesia), et uxor Aeetae in poesi Milesia, et uxor Hypsicreontis Milesii (Parthen. 18, Plut. mul. virt. 17) — filia eius Polymeda Iasoni nubit.[18]

Alter Autolycus (b) una cum Deileonte[19] et Phlogio (sunt autem omnes filii Deïmachi) Sinopam condit,[20] coloniam Milesiam. nomina autem Deïleon[19] et Deïmachus, de quo statim dicetur, coeunt cum Deione(o).

§ 11. Aeolus in matrimonium ducit Αἰναρέτην τὴν Δηϊμάχου (Apld. I 51, schol. Plat. Min. 315). Deimachus praeterea est a) pater conditorum Sinopensium (cf. § 10); b) filius Nelei.[21]

§ 12. Aeolidarum stemma Mileti coaluit.

---

18. fortasse huc revocare licet, quod Autolycus pater Aesimi, avus Sinonis est (Serv. Aen. II 79), si modo hoc inventum non novicium est et Maassius, Herm. XXIII 618 Sinonem formam nominis Sinopi hypocoristicam esse recte dicit.

19. Deileon a) f. Deimachi; b) socius Cadmi: schol. Dion. Per. 391, Tzetz. Lyc. 1206 = Chil. X 405 (Δηϊολέων Tzetzae errore).

20. Ap. Rh. II 957 sqq, Ps-Scymnus 941 sqq, Plut. Luc. 23, Strab. 546, tab. Iliaca „I" 301 (Jahn-Michaelis, Gr. Bilderchron. p. 72).

21. index Nelidarum: Apld. I 93 = Asclep. in schol. Ap. Rh. I 152 [ΡΑΔΙΟΣ apud. Apld. et ΦΡΑΣΙΣ ap. Asclep. siquid video fuerunt

Caput III.

De Pelopidis.

Id quod Aristarchus *B* 106 interpretatus docuit, ὅτι Ὅμηρος οἶδεν αὐτοὺς ἀχρὶ τέλους ἀδελφικὴν εὔνοιαν φυλάξαντας, tam saepe repetitum est,[1] ut iam in communem quam dicunt opinionem doctorum hominum receptum esse videatur. qui unus aliter sensit Licymnius (schol. *B* 106) non pervicit. καὶ ἐπεκράτησεν ἡ Ἀριστάρχου καίτοι λόγον οὐκ ἔχουσα. quod enim hodie placet ‚sine ulla controversia sceptrum a patre ad filium, a fratre ad fratrem transire,' mihi inauditum videtur. nam qui potuit fieri, ut frater in fratris[2] locum succederet filiis non carentis?

Itaque sub illa regum serie historia aliqua latet. atque subesse praecipue Atrei et Thyestae inimicitias certissimum est. nam qui aliter iudicat, ei statuendum pristinam fabulam plane evanuisse et aliam in eius locum successisse ita moratam,

---

ΧΡΟΜΙΟΣ. in ceteris pauca variantur]. — Asterius [vel Asterion] 1) Milesius Anactis f. [Paus. I 35,6]. 2) Argonautae. a) *Α. Κομήτου* in Cypseli arca. β) Hyperesii f. 3) rex Cretae, Europae coniux [vel nomen Minotauri]: hi omnes hoc illove modo spectant ad Miletum. — Alastor: 1) a) Antilochi socius *N* 422 [inde *Θ* 333; neque igitur re vera Aiacis socius A. est]. b) Nestoris socius iuxta Chromium et Biantem [cf. cap. II B adn. 16] *Δ* 295. 2) Lycius e Pylio factus *E* 677 [= *Δ* 295]. 3) Τρῶα δ' Ἀλαστορίδην *Ψ* 463. antecedunt Troes filii Biantis. — Chromius: 1) *Δ* 295 una cum Alastore 2) *E* 677 cum eodem 3) socius Hectoris in *P* 494 una cum Areto, de quo adi cap. II B adn. 16. [praeterea 4) in Troum magno numero *Θ* 275. et 5) in filiis Pterelai Apld. II 57. 4) et 5) indidem profectos esse demonstrare non possum sed credo]. — Periclymenus praeter Pylium f. Nelei et Chloridis (est Bori avus: Paus. II 18,8) notus est Thebanus f. Neptuni et Chloridis. — de Deimacho supra dicturus sum; de ceteris nihil habeo. qui exstat index in schol. *Λ* 692, nihili videtus esse.

1 Welcker Gr. Tr. 358, Robert B. u. L. 187 sq, Thraemer Pergamos 34, Immisch Klaros 202/3, Escher PW v. Atreus. quos exempli causa nomino.

2. adnotaveram nemini fore ut in mentem veniret contendere Thyestem Atrei filium, Agamemnonis patrem esse. sed haec opinio me fefellit: cf. Christii proleg. ad maiorem Pindari ed. p. CXXIII.

ut eidem regum seriei satisfaceret. quod nemo facile ab animo impetrabit, praesertim si talem fabulam effingere semel conatus erit[3] et recogitaverit, vix potuisse id quod in stemmate videmus effici nisi fratris cum fratre inimicitiis. Aliud accedit. nam si quis neglegit quod inter verba *λεῖπε* et *δῶκε* interest (qua differentia nixus est Licymnius), illud negare vix potest epitheto *πολύαρνι Θυέστῃ*, quod uno hoc loco offendat, respici clarissimam de agno aureo narrationem.

Qui de loco Homerico ita iudicat, ab eo postulat ipsa res, ut fabulam qualis ante Iliadis *B* fuerit, reficere conetur.

Pelops[4] primus seriei exstat, sceptrum a deis accipit; itaque patrem mortalem non habet, et cum sceptrum a Mercurio accipiat, in scholio autem Mercurius et Calyce parentes eius nominentur, veri simillimum est hos iam loco Homerico subesse. subesse praeterea arbitror Hippodamiam. cum de epitheto ‚*πληξίππῳ*' vix aliter iudicare liceat atque de ‚*πολύαρνι*'; praeterea fabulam illam, quae et cum regione Phliasia cohaerere videatur et in Elidem[5] Lesbumque translata sit, vetustissimam esse apparet; postremum gentis conditorem notabili periculo uxorem sibi parere decet.

Myrtilus autem, cum filius Mercurii[6] sit et a Pelope leto datus Pelopidarum domum Mercurii patris poenae demandet, ab hoc contextu procul habendus, in quo Mercurius ipse Pelopidarum pater et avus sit. iam exstat fabulae forma a qua Myrtilus abest. Pindarus Ol. I narrat, Pelopem a

3. conatus est is qui schol D (*Ἀτρεὺς βασιλεύων — ἀποδίδωσι*) commentus est. vide, quo modo ei cesserit!

4. Semel relego ad Thraemeri librum ‚Pergamos', apud quem multa recte disputantur, quae huc faciant. nec singula adferam nec falsa refutabo.

5. cum incolis opinor in Elidem venit, non propter ludos Olympicos eo translata est, id quod ab aliis creditur.

6. nam quod Iovis filius in schol. Eur. Or. 998 audit permirum et singulare et fortasse falsum est. cf. schol. Apl. Rh. I 752, in quo non „Mercurius et Phaethusa vel Clymene et Iuppiter" parentes enominantur sed „Merc. et Ph. vel Cl. vel Myrto."

patre equos alatos accepisse. Myrtilum non commemorat. nam aut equis divinis aut dolo aurigae vincitur Oenomaus; utrumque coniungere absonum est. quocum convenit, quod in Cypseli arca equi alati depicti erant, Myrtilus non aderat.[7] huc etiam ‚non nullorum' narratio pertinere videtur, Oenomaum a Pelope interfectum esse (Apld. epit. 2,7), quam Euripides quoque in Iph. T. 823 amplectitur: nam ubi Myrtilus adest, Hippolytea morte rex defungitur, neque hasta illa usque ad Agamemnonis tempora in domo regia servata, qua Pelops regem interfecit, nullius momenti est. neque hoc parvi faciendum, quod ita Oenomaus interit, ut procos perdidit, equis divinis et hasta hauscio an ea quoque divina.

Sceptrum a Pelope Atreus accipit, moriens Thyestae relinquit. iam supra monui verbo πολύαρνι fabulam tangi, qua Thyestes agnum aureum in suam potestam redigit. quod cum apud posteriores semper per Aëropam faciat, hoc fortasse iam formae primae dandum.

Agnus non a Mercurio infesto mitti potest[8], si recte supra disputavimus; sed Atreo omnino mitti non potest. hoc enim ideo fieri infra apparebit, ut inter fratres e terra aliena Mycenas arcessitos rex deligatur; in fabula autem vetustiore Mycenis sunt, non veniunt aliunde. itaque siquidem agno opus est, Atreo autem mitti sensu caret, iam antea in Pelopidarum potestate fuisse conicimus, et tale quid traditum est. Apud Anticlidem enim ἐν Νόστοις (schol. Ar. Nub. 144) commemorabatur χρησμός ἐν Λέσβωι ναπαίου Ἀπόλλωνος δο-

---

7. Paus. V 17,7. — iam Welcker, Gr. Tr. 357, Pindarum et νεφέλην coniunxit idemque vidit Myrtilum et equos alatos in uno contextu adesse non posse.

8. quod Diana a quibusdam pro Mercurio ponitur (Pherecydes in schol. Eur. Or. 995 + Apld. epit 2,10 + 3,21) hoc ad Iphigeniam pertinere videtur. eadem vel potius similis fabulae forma subest in Eur. Iph. T. 20 sq. velim animum advertas ipsorum verborum similitudinem, quae est inter hunc locum et Apld. epit. 2,10. ceterum formula amplius patet: aspice oraculum sibyll: Diels SB 113 v. 32. quae editor in pag. 50 adnotat minus apta sunt, quam loci modo a me adhibiti.

θεὶς Πέλοπι αἰτοῦντος αὐτὸν ἀνάθημα τοῦ θεοῦ τὴν ἄρνα τὴν χρυσῆν. in Lesbiaca igitur illa Pelopis fabula a trita via remotiore id reperimus, quod ad nostrum contextum facit. huc revocandi videntur Senecae Thy. v. 225 sqq ab Atreo dicti: ‚est Pelopis altis nobile in stabulis pecus arcanus aries . . . possessor huius regnat, hunc tantae domus fortuna sequitur'.

Itaque in vestustiore fabula agnus inde a gentis principe quasi pignus regni adfuisse videtur[9]. — Sequitur Atreus, tum Thyestes, h. e. fratrum simultas. atque Thyestam in fine victorem remanere Homerus cum posterioribus consentit. hi sane non pauca interponunt, ex quibus Iovis iudicium sole converso latum omittendum, quod ab agno ad Atreum misso segregrari non posse postea planum fiet. neque ulla causa est, cur cetera velut puerorum necem iam simplici formae attribuamus. immo hoc mecum reputa agnum pignus regni videri esse, Thyestam hunc agnum dolo adipisci, Thyestam in fine regnare, ex eis quae interposita videmus non nulla postea iniecta esse posse demonstrari; iam mihi elucere videtur in pristina et simplici fabula Thyestam agnum adeptum regnum quoque adipisci. nam qualem nunc legimus narrationem, aries non magni momenti est ad universum; olim opinor plus valuit.

Atreus simul sceptrum et animam deponit, sine dubio a fratre interfectus. hic regnat, dum ab Agamemnone sceptro privatur.

Iam omnia coniungo appositis certo consilio iis quae proximae *γενεᾶι* accidunt.

1. Atreus regnat.	1. Agamemno regnat.
2. Thyestes <uxorem eius corrumpit et> agnum regnumque adipiscitur.	2. Aegisthus uxorem eius corrumpit et regnum adipiscitur.
3. Atreus moritur (interficitur).	3. Agam. interficitur.
4. regnat homo non legitimus.	4. regnat homo non legitimus.
5. filius regis genuini falsum regem regno privat.	5. filius regis genuini (Orestes) falsum regem interficit.

---

9. similiter Immisch, Klaros 206.

Hae duae partes ita concinnae sunt, ut alteram ad alterius exemplum factam esse adpareat. utra ad utrius, vix dubium esse potest et infra si opus est etiam clarius elucebit; sed compositis duabus partibus me priorem in universum recte restituisse veri etiam similius fit.

Iam quid de fabulae historia effici possit, videamus. a multis vel ab omnibus hodie probatum video[10] Pelopidarum crudeliter facta invenissse Dores, qui Argolide capta veteribus dominis detrectare studerent. hoc falsum esse nunc nemo non videt. Quid enim? quod frater fratrem maiorem regno eicit, deinde a filio illius idem patitur, ita ut iam gens magis floreat quam antea, num hoc est obtrectare? et quod etiam pluris est: quoquo modo iudicas de Iliadis *B* — Ὄνειρον dico qui cum catalogo navium non cohaeret — fabulae Dorum Argivae ab illo Homero quam longissime absunt. In Asia igitur fata Pelopidarum canebantur, quo minus autem de Mileto vel Colophone[11] cogitemus, praeterquam quod nihil aut in illa historia aut in illis urbibus tale quoddam suadet, eo prohibemur, quod in carminibus Ionicis fabula hoc uno loco tangitur, ne narratur quidem. Sed in Aeolidem vocamur, quoniam Cyme a Cleua et Malao Agamemnonidis, Temnus a Malao condita erat, et Agamemno rex aliquis vetustissimus Cymes appellatur[12]. Lesbum vel Tenedum in censum venire non posse infra apparebit; hoc loco

10. hoc Carolus Robert primus pronuntiasse videtur (B u. L 188). — quod Wil. HU 157 in transcursu iecit, nollem ab aliis repetitum.

11. *Ονειρος* carmen Colophonium vel Ephesium mihi videtur esse, in quo Calchas multus sit et singulum quoddam de Caystri planitie memorabile occurrat. — sed de huius partis compositione nondum ad liquidum perventum est.

12. Strab. XIII pag. 582. St. B. *Τῆμνος*. Pollux IX 83. Cyme a Pelope condita: Mela I § 90. fortasse etiam paulo magis ad meridiem ire licet propter *Ἀγαμεμνόνεια φρέατα* prope Smyrnam (Philostr. Her. p. 160 K., schol. Pausan. VII 5,11) vel prope Clazomenas (Paus. VII 5,11) vel potius inter utramque opinor urbem (Strab. 645) sita. sed hoc dubium, quia eiusdem nominis putei etiam aliis locis commonstrabantur (in Attica et in Aulide *καὶ πολλαχοῦ τῆς Ἑλλάδος*: Hesych. *Ἀγαμ.* Eustath. Il. 461,15).

moneo bene convenire, quod poesis epica multo post quam in continente floruit Lesbum translata est.[13]

Sequitur ut quaeramus, num quid ex iis, quae Aeolica esse demonstravimus, ex ipsa Graecia repetendum sit. Atque Pelops quidem non dubitabimus, quin e Peloponneso in Asiam transmigraverit fata sua secum portans. Nam vestigia eius et Oenomai paene obliterata circum Mycenas et Phliuntem conspiciuntur[14], inde et Lesbum et Cumas et in Elidem illi pervenerunt; neque Pelopis insula nomen suum non poeticum sed cotidianum adipisci poterat, nisi Peloponnesiacus fuisset. ceteros autem, qui ei succedunt, nihil est cur iam in patria coniunctos fuisse arbitremur. talia enim fata, quae nullo modo summam vetustatem mythicam redolent, sed ad historiam veram familiarum nobilium prope accedunt, in Asia exstitisse iudico; neque fugit quemquam, quantum intersit inter Pelopis et Oenomai fabulam antiquissimam Argivam et Atrei Thyestae Agamemnonis certamina. accedit quod neque loca neque monumenta in Argolide sunt, cum quibus firmiter cohaereant illi Pelopidae, neque praetermittendus Iovis Agamemnonis cultus Spartanus[15], quod quidem cognomen ita explicare saeculum est, ut Lacadaemonii deo nomen hominis obtrusisse perhibeantur de causis nescio quibus publicis, ego vero non explicationem hanc sed blasphemiam esse ratus, potius ex opinione antiquiore cum Iove Trephonio et Iove Amphiarao comparaverim. Mycenis igitur Agamemno aut non fuit (tum e partibus Peloponnesi meridionalibus in Aeolidem venit) aut non Pelopida fuit, sed deus.

Simplex fabula quae *Ὀνείρωι* subest, postea mutatur. Pelops non iam ingenuus Mycenarum rex est, non iam filius Mercurii, non iam *ἀρχηγέτης*; sed ad Sipylum nascitur filius Tantali. haec etsi coniecerit aliquis iisdem locis posteriore tempore mutata esse, tamen in insula Lesbo

13. hoc Wilamowitzius ex fabulosa Homeri vita demonstravit.
14 v. Thraemer, Pergamos 55.
15. Wide, Lak. Kulte 3. 333.

accidisse non nullis rebus veri simile fieri mihi videtur. — Lesbi de Pelope et Oenomao narratum esse constat[16]. ὁ Οἰνόμαος ἐβασίλευεν ἐν Λέσβωι (sch. Eur. Or. 990); Mytilene a filia Pelopis nomen accepit (St. B. v. Μυτ.); Cillus Pelopis auriga ad Lesbum (et ad sinum Adramyttenum) pertinet.

Iam nobis notus est Τάνταλος ὄρος Λέσβου ἀπὸ Ταντάλου (StB) et Tantali heroon Lesbium (StB Πολίον). Tantalus certo quodam tempore pater Pelopis factus est[17]. hoc non accidisse apud Pelopidas Cymae et Temni, qui sine dubio Mercurium ut patrem ἀρχηγέτου et θεὸν πατρῷιον colebant, probalile mihi videtur. apud Sipylum Tantalus potest a poeta aliquo collocatus esse, cum perparvi sit Tantali lacus et Tantali sepulcrum, quo nomine quivis tumulus appellari potuit, et Tantalis urbs, quae numquam erat, semper fuerat[18]. — contra Lesbi mons fuit, qui non Tantalius sed Tantalus audiebat, Lesbi non sepulcrum sed heroon Tantali, idque invita fabula vulgari. Lesbi igitur Tantalum et Pelopem paene certum est coniunctos fuisse, perquam veri simile coniunctos esse[19].

Cum Mercurius iam non pater Pelopis esset, poterat Myrtili fabula accrescere, atque id quoque Lesbi videtur factum esse. Habemus enim Lesbi Cillum Pelopis aurigam[20],

---

16. cf. Thraemer Pergam. p. 45.

17. primum occurrit in Cypr. frg. 9. — Tantalus Peloponnesiacus (Wil. Her. II² 96. M. Mayer, de Eur. myth. p. 31) num omnino fuerit, perquam dubium. 1) Tantalus minor fortasse a poeta inventus. 2) Hyg. 124: T. fortasse per Pelopem in regum seriem irrepsit. 3) Serv. Aen. VI 603: rex Corinthiorum. error videtur subesse: Sisyphus rex Corinthi!

18. neque pluris est Tantalus conditor Smyrnae veteris. StB. Tac. Ann. IV 56. Aristid. XVII Keil (ἡ μὲν οὖν πρεσβυτάτη πόλις ἐν τῶι Σιπύλωι κτίζεται).

19. nunc adparet cur formam simpliciorem a qua Tantalus abest Lesbiacam esse supra negaverim.

20. schol. Arat. 161 (Maass p. 368) sic fere emendandum est: οἱ δὲ Κίλλαντος τοῦ Πέλοπος ἡνιόχου εἶπον, ἄλλοι δὲ Μυρτίλου τοῦ Οἰνομάου.

qui ad ipsam historiam vix necessarius est, et aegre affingi potuit, nisi antea Myrtilus aderat. tum nomen Myrsilus remotis iam temporibus in insula Lesbo occurrit. occurrit etiam in genealogia Heraclidarum Lydiorum: *Κανδαύλης ὃν οἱ Ἕλληνες Μυρσίλον ὀνομάζουσιν* (Hdt. I 7). iam recordamur Hipponactis versum *Ἑρμῆ κυνάγχα μῃονιστὶ Κανδαῦλα*, quo Hesychi glossa *Κανδαύλης Ἑρμῆς ἢ Ἡρακλῆς*[21] revocanda est. Candaules idem qui Myrsilus, Candaules idem qui Mercurius apud Lydos, Myrtilus Mercurii filius apud Lesbios. quem non modo videri sed esse conexum, quamquam plane explicari fortasse nequit, vix quisquam negabit, praesertim cum vetustum Lesbiorum cum Lydiis commercium consideraverit, de quo vel Sapphus carminibus, velut nuper invento, et aliis rebus[22] edocemur. Myrtilus igitur Lesbi ad fabulam Pelopidarum accessit[23]. Myrtili autem sepulcrum a Pheneatis Arcadiae cum Mercurii fano cultum (Paus. VIII 14,10) ne credas ansam fabulandi dedisse, aspice quibus artificiis fabulam cum sepulcro iungere necesse fuerit.

Sed praeter Tantalum et Myrtilum tertius apud Lesbios accessit ad fabulam Orestes. Lesbus enim et Tenedus ab Oresta vel a posteris eius incoluntur, Cyme autem et Temnus ab Agamemnonidis; neque omnino habemus, cur Cleuam et Malaum ab Oresta originem duxisse arbitremur; immo hoc propter temporum rationem ne potest quidem fieri (Strab. p. 582). Itaque altera pars fabulae ab Aga-

---

21. Heraclidae enim erant reges Lydorum.

22. Adramytium ab Adramyto Croesi fratre aut ab Hermone (cf. *Κανδαύλης: Ἑρμῆς*) rege Lydorum conditum. StB v. *Ἀδρ.* (cf. IG XII 2, 348 *Ἀδραμυς Φαινω χαιρε*).

23. formam nominis ne mihi opponas! neque enim tenemus carmen Lesbiacum. potest igitur *τ* postea inlata esse. fortasse etiam littera *τ* verbo *μύρτος* in nomine mythico animo nescio de qua causa magis obversata conservata vel restituta est. — cf. *Μυρτιφῶντα* Atheniensem (CIA III 1202, II 129); mulieres Athenienses et *Μύρτη*, *Μυρτώ* *Μυρρίνη* et *Μυρτίς*, *Μυρτία*, *Μυρτίχη* (Bechtel, Att. Frauennamen 102). cf. *Τρίτιος Φυτίω* in dial. Arcad. Meister Gr. D. II 107.

memnone usque ad Orestem e fabula Lesbia ad prioris Cymaeae exemplum adficta est.

Tantalus, Myrtilus, Orestes e fabulis Lesbiis additi videntur esse; iam enucleare oportet quid initio Lesbii narraverint. Pelops filius montis Lesbii est; Oenomai regis Lesbiorum filiam ducit; Mytilenam filiam eius novimus casu, ex ampliore opinor numero unam. sequitur ut primitus non aliunde venerit, sed de monte Tantalo descenderit et filiam regnumque Oenomai adeptus sit; neque in alium locum inde migravit, sed finem habuit ubi liberos habuit. — in ipsa igitur insula omnia aguntur.

Restituimus et fabulam Cymaeam et Lesbiam. in illa omnia Mycenis, in hac Lesbi aguntur, in fabula vulgata Pelops a Sipylo in Peloponnesum transit. is igitur qui fabulas Cymaeam cum Lesbia coniunxit, Tantalum non Lesbi sed in Sipylo conlocavit, ideo sine dubio ut Cymaeorum et Lesbiorum et Peloponnesiorum ἀρχηγέτης ne ab ignoto aliquo monte, sed a summo quem noverat poeta descenderet.

Eundem poëtam certamen Pelopis et Oenomai Lesbium rerum conexui inseruisse putaverim. nam fabula popularis ab uno certoque in Pelopidarum historiam nisi recepta esset, non poterat durare apud Pherecydem[24] Sophoclem (El. 505) Euripidem (Or. 987) in schol. Townl. *B* 104, in vasculo picto,[25] non poterat Myrtoi maris nomen a Myrtilo derivari. — duas rationes video, quibus licuit illi procedere: aut a Sipylo in Peloponnesum inde Lesbum inde rursus in

24. sch. Soph. El. 504 (=frg. 93).

25. Mon. d. I. X t. 25. — congiungenda sunt praeterae vasa, in quibus Oenomaus Pelopem persequitur: 1) Mon. d. I. II t. 33 (quamquam lubricum est de hoc vase e multis fragminibus composito iudicare: cf. Ann. d. I. 1836 p. 101). 2) Mon. d. I. VIII t. 3, Furtwaengler-Reichhold, Gr. Vasenmalerei t. 67 (cf. Furtwaegleri adn. p. 32 sqq): alterum currum non effictum Pelops respicit. 3) Monuments des nouvelles annales 1836 pl. V. — In 1 mare videtur esse inter utrosque, in 2 Pelops mare transvehi incipit, in 3 utrique in terra sunt, aut igitur (a) utrique mare transvehuntur, aut (b) Oenomaus Pelopem Neptuni equis praeditum sequi nequit. „b“ fortasse magis placet; sed Myrtilus

Peloponnesum mittere Pelopem, aut a Sipylo Lesbum inde in Peloponnesum. illud nemini placebit et vix potuit confingi, nisi iam antea Pelops Mycenaeus Lesbo uxorem arcessebat, quae fabula neque Lesbi neque in Peloponneso viguit.[26] illud simplicitate commendatur, commendari videtur Soph. El. v. 504 sqq, et subest in ea narratione, quae in schol. *A* 38 (Theopompo in subscriptione addito) refertur: in qua etsi certamen Pisaeum e vulgata receptum est, tamen ex ea quam restituo conformatione iter a Sipylo per Lesbum in Peloponnesum factum remansit.[27]

Idem qui Tantalum addidit et certamen Lesbium inesse voluit, addidit etiam Orestam simulque ea facinora Agamemnonis temporibus commissa, quae patrum facta imitabantur.

Restitui fabulam Cymaeam, fabulam Lesbiam, eam qua ambae coniunctae sunt conformationem, hanc quoque sine dubio Aeolicam, quae haud procul a Sipylo, opinor, facta sit. Vix opus est dicere exstitisse plures fabulas quam nos nunc novimus, potuisse praecipue fabulas Cymaeam et Lesbiam non una ratione coniungi. sed nos possumus adumbrare, non singula reficere.

Unum addo: Orestes vel unus ex posteris eius Tenedi et Lesbi incola Amyclis venit, non Mycenis.[27a] hanc fuisse

---

(qui adest) non video quo pacto a Pelope mortem obire possit. Certe a memoria litteris tradita haec aliena sunt. — Raptus nuptae, quem in fabula primitus fuisse multi Roberto crediderunt, si modo in illis vasis subest, non vetustior est, quam certamen. a) propter Isthmum finem, qui ad certamen quadrat, non ad raptum. b) propter aliarum gentium similes narrationes, cf. vHahn, griech. maerchen I p. 54 ‚Oinomaosformel'.

26. finxit eam Robert B. u. L. p. 187. Robert primus Lesbia in Pelopis historia detexit vestigia. non nulla additit Thraemer. neuter usque ad finem pervenit.

27. ap. Pherec. (fr. 93) ὑπέστρεψε non est revertit sed devertit. cf. Thucyd. III 24 et Kaibeli notam ad Soph. El. 725.

27a. Orestes Amyclis profectus Tenedum incolit: Pind. ‚Nem'. XI. Orestes e Laconica profectus ipse in Arcadia moritur (Tegeae enim

genuinam Lesbiorum et Tenediorum opinionem haud facile quisquam negabit. itaque siquidem in eo carmine a quo praeter vascularios Pindarus (Pyth. XI), Stesichorus, fortasse Simonides in Agamemnonis et Orestae fatis pendent — ‚Delphicum‘ appellavit vWilamowitz[28] — Amyclis res aguntur, quamquam fortasse ipsorum quibus factum est temporum spiritus subesse recte conicitur, tamen sedem Amyclaeam non e nihilo finxit sed e fabulis Aeolum recepit ille poeta ‚Delphicus‘, per id carmen vel unum ex carminibus, quibus res Cymaeae cum Lesbiacis et Tenediis coniunctae erant.

Duae mutationes extremis temporibus factae sunt, cum iam in ipsa Graecia illa carmina magis circumferri coepta essent. primum enim Olympiae quoque exstabat certamen Pelopis et Oenomai, ab eis illuc translatum, qui Harpinae nomen ab Asopo in Elidem tulerunt,[29] non ad lubidinem propter ludos ibi conlocatum, ut multi autumant; sed propter ludos fabula Elea praeter ceteras inclaruit, cum Lesbi quid accidisset, minus interesset hominum ipsam Graeciam incolentium. itaque non Lesbi uxorem adeptum in Peloponnesum venientem fingere placuit, sed recta via a Sipylo transgressum in Olympia cum Oenomao contendere.

Accessit aliud: nam dum in Asia Pelopidas Mycenaeos reges constituunt, in ipsa Argolide quoque coniuncto cum Persidis Hercule regum Mycenaeorum familia exstiterat. hanc igitur cum illa aliquo modo necesse fuit coniungere.

	Perseus	
Pelops	Sthenelus	
Atreus	Eurystheus	Hercules
Agamemno		Tlepolemus

sepulcrum eius erat), Penthilus in Thraciam pervenit, Archelaus Propontidem transgreditur, Gras Lesbum incolit (Strab. XIII 582. Laconica non nominatur, sed necessario intellegitur. cf. etiam Paus. III 2,1).

28. Orestie II p. 246.

29. Strab. 357. Paus. VI 21,8. — Paus V 22,6. Diod. IV 73. StB Ἅρπινα.

Ex hac tabula efficitur Pelopem ipsum Mycenas venire non e re fuisse, facile venire potuisse Atreum. itaque Pelops secundum fabulam Eleam in Elide cum Oenomao certavit ibique remansit, filii eius in Argolidem transierunt. hoc ut fieret familiae ita coniunctae sunt, ut Sthenelus filiam Pelopis duceret eodemque pertinet Alcaei et Mestoris, Stheneli fratrum, cum Pelopis filiabus coniugium.[30]

Ut Atreus et Thyestes ex Elide amoverentur, nex Chrysippi inventa est (Thuc. I 9), non Chrysippus ipse, quem iam antea a Iove aut ab Oedipo raptum esse narrabant.[31] ut Phocus Aegineta, ex alia matre natus est atque fratres inimici.[32] Apld. II 56: Sthenelus Pelopidas Mideam recipit. Thuc. I 9: Eurystheus adversus inimicos profectus imperii custodem Atreum instituit.

Apld. epit. 2, 11: Mycenaeis oraculum fit *ἑλέσθαι βασιλέα Πελοπίδην*, sine dubio post mortem Eurysthei. obscurum est, uter a dis rex destinatus sit Atreus an Thyestes. itaque Thyestes proponit, qui agnum aureum in medium pro-

---

30. Atreus avonculus Eurysthei: Thuc. I, 9. Uxor Stheneli Amphibia *Πέλοπος*: Pherec. sch. A ad *T* 116. Nicippe *Πέλοπος*: Hes. in sch. Townl. (sec. schol. A apud Hes. Antibia Amphidamantis f.) Apld. II 52. Alcaei Astydamia *Πέλοπος*: Apld. II 50; sch. T ad *T* 116. Electryonis Lysidice *Πέλοπος*: sch. Pind. Ol. VII 49, sch. Townl. l. c. Paus. VIII 14,2 (Diod IV 9. *Εὐρυδίκην* in *Λυσιδίκην* muta!) Mestoris Lysidice *Πέλοπος*: Apld. II 50. cf. Solin. I 28. Ceteras, quae nominantur uxores nec tamen filiae Pelopis sunt, non enumeravi; Amphibiam Pherec. ex hoc numero ad filias Pelopis transtulisse videtur. cetera nomina versum efficiunt *Νικίππη καὶ Λυσιδίκη καὶ Ἀστυδάμεια* (duo priora ex Hippodamiae fabula efficta. falso igitur *Λευκίππη* in schol. D ad *T* 116 et *Ξενίππη* in sch. Townl.) quocum conferas *I* 145: *Χρυσόθεμις καί Λαοδίκη καὶ Ἰφιάνασσα* et Proetidum nomina *Λυσίππη καὶ Ἰφινόη καὶ Ἰφιάνασσα*. — schol. Townl. igitur de Hesiodo vide ne rectum prodat. hoc vero utut se habet, e carmine epico haec omnia sumpta esse vel his nominibus probatur.

31. Praxilla frg. 6 B⁴. Oedipodia.

32. *νόθος* schol B ad *B* 105. deterius schol. A: e priore uxore (*ἱστορεῖ Ἑλλάνικος* — Thucydidem ex Hellanico hausisse, id quod voluit Koehler, probari nequit). schol. Pind. Ol. I 144 ex Axiocha nympha. *ἔκ τινος Ἀξιόχης νόθος*: sch. Eur. Or. 5.

ferre possit, ut is regnet. Atreus adsentitur, cum portentum in suo grege esse sciat; sed dolo Thyestes suum fecerat. Atreus deceptus est.

Apparet quantopere altera pars alteri respondeat, nec quemquam fugit, hanc narrationem sensu carere nisi fratres peregrini ad regnum Mycenaeum vocantur.

Has res in Electrae carmine chorico (699 sqq) Euripides tangit, Panem arietem in gregem misisse commentus, non ex alia memoria sed poëtae licentia usus, ut qui in Oreste (995 sqq) Mercurio idem munus tradat. praecones Mycenaeos conclamant, ut miraculum aspiciant. sed Thyestes dolo adipiscitur et in foro Mycenaeis pronuntiat se possidere agnum. — Carmini ea historia subest, de qua modo dixi. cur Mycenaeorum tanta ratio habeatur, ita demum intellegitur, ut ipsos regem sibi creare subaudias emortua Persidarum gente.

Agni fabulae adiungitur sol conversus: in Electra, in Oreste, in Iph. Taur. (812 sqq), in Platonis Politico (268/9), apud quos eundem atque apud Apollodorum conexum subesse ultro apparet et verbis ipsis (*μαρτυρήσας ὁ θεὸς Ἀτρεῖ* apud Platonem — *θνατᾶς ἕνεκεν δίκας* in Oreste) significari videtur.

Supra dixi in vetustissima fabula una cum agno regnum quoque et vitam amisisse Atreum veri non dissimile mihi videri. quod si recte iudicavi sequitur ut acciderit, postquam Atreus nescio quantum temporis regnavit. In ea autem de qua nunc agimus forma fabulae fratrum certamen oraculo ambiguo ad regnum vocatorum in initio poni necesse erat. iam cum Thyestes agnum nanctus tamen regnare non posset[33], quoniam Atreus regno nondum perfunctus erat, alio opus fuit invento: deorum rex ipse miraculo caelesti instituto[34] intercedit, Atreus regnat.

---

33. Seneca Thy. 236 exilium Atrei interponit quod alias non inveni.

34. de quo in appendice I verba faciam.

Sed forsitan quispiam rationem a me reposcerit, curnam alteram de sole converso fabulam omnino neglexerim. Neglexi consulto; nam cum ambas conciliari non posse[35] neminem fugiat, alteram ex altera mutatam esse apparet. recta ratione progressus est Wilamowitzius, qui quae ipse litteris non tradidit hic quam brevissime percurram. in Statili Flacci epigrammate AP IX 98 uno quod sciam apud Graecos loco ea fabulae forma tangitur, quae e poetis Romanis nobis notissima est,[36] *δείπνοις ἐλαθεὶς Ἀτρέος Ἥλιος*. in quo epigrammate cum Sophoclis tragoediae significentur, unus Sophocles (in Mycenaeis) ita narravit; quem nemo praeivit, nemo Graecorum secutus est.[37] Sophoclem e sua religione novasse certum. — Iure igitur haec neglexi in genuina fabula indaganda.

Progredimur:

1. Atreus Iovis voluntate regnum adeptus Thyestam eicit. (Aesch. Ag. 1586=1557 K. Apld. ep. 2,12).

2. Thyestes revertitur aut supplex (Aesch.) aut a fratre amicitiae specie revocatus (Apld., Hygin., apud Senecam paulisper mutatum). hoc si Aeschylo iam notum fuisset cum Aegisthus Aeschyleus non reticuisset, postea demum inventum esse iudicaverim, aut a Sophocle[38] aut ab Euripide,[39] ab hoc potius quam ab illo.

---

35. quod Leo (Seneca I 173[15]) bene eas conciliari posse iudicavit, non dubito quin hodie aliter sentiat.

36. cf. Leo Seneca I 173[15].

37. Accius igitur, apud quem solis miraculum fuisse Welcker (Gr. Tr. 363,4) et Ribbeck e frg. 13 concluserunt, Sophoclem secutus est, id quod Welcker (p. 357) ex uno nomine fabulae efficiebat, Ribecki (R.Tr. 456) adsensum non nactus. (Welckeri opinionem Strauss, de rat. inter Senecam . . . diss. Rost. 1887 p. 58 sqq. non nullis stabiliverat). quod vero Ovidius Propertius Lucanus Statius omnes uno ore Sophocleam fabulae conformationem profitentur, explicari nequit, nisi Varium ad Sophocleam statuas se applicasse Seneca qui in Thyesta formam Sophocleam praebet, Varium et Sophoclem imitatus est, praeterea Euripidem.

38. in censum veniunt *Ἀτρεὺς ἢ Μυκηναῖοι* et *Θυέστης β'*, de cuius argumento nihil effici potest.

3. Atreus Thyestae filios necatos in cena adponit.[40]

Supra demonstravi fabulae de agno aureo formam posteriorem et quod cum ea cohaeret miraculum caeleste pertinere ad infimam aetatem poesis epicae, ad Peloponnesiacam fabulam, ut videtur, quippe in qua labor Pelopis Eleus et Persidarum gens respiciantur. Sed crudelem cenam, etsi simplicissimo contextui non attribuenda videtur, tamen quod sciam nulla re cogimur ad infima tempora referre. immo iam antea fuisse inde concludo, quod Atreo regnum adepto Thyestes fugit, deinde revertitur (paene sine causa), ideo opinor ut apte cena tradita in contextu mutato servari possit. Atque in Asia eam accessisse vel eo probari mihi videtur, quod in Harpagi et in Cyaxarae (Her. I 73) fabulis simile aliquid accidit. non dico alteram fabulam ab altera pendere, sed talem formam una cum multis aliis in hominum ore fuisse.[41]

De exilio et reditu Thyestae (1. 2.) quid sentiam iam significavi. inventa videntur esse, ut cena e vetustiore historiae conformatione reliqua novae adaptaretur. infimo igitur tempori poësis epicae, carmini in ipsa Graecia exorto, haec tribuimus.

III	II	I
1. A. et Th. ad regnum vocantur	(Atreus regnat)	(A. regnat)
2. agnus aureus	Th. agnum nanciscitur	Th. agnum nanciscitur
3. miraculum caeleste		
4. Th. eicitur		
5. Th. revertitur		
6. cena	cena	Th. regnat

39. in ‚Thyeste'.

40. puerorum nomina affert Apld. ep. 2,13: *Ἀγλαὸν καὶ Καλλιλαῖον καὶ Ὀρχομενόν*, Tzetz. Chil. I 418: *Ἀγλαὸν Ὀρχομενὸν Καλλαῖον*, sch. Eur. Or. 5: *Ὀρχ, Ἀγλ. Καλλεον* vel *Καλλαον* (cod. Monac. 560 *Καλλεα*, mant. prov. *Καλεα*). nomina versui epico aptissima: *Ἀγλαὸν Ὀρχομενόν* (*τ' ἔτεκεν*) *καὶ Καλλιλέοντα*. mater est Laodamia.

41. quod nos dicimus: Novellenmotiv. — cf. Schubert, Cyrussage p. 79 sq.

Post cenam Thyestae memoria in duas partes discedit: ab altera una in Aeschyli Agamemnone narratio Aegisthi stat (B), quem nihil mentiri sed tantummodo dissimulare mihi pro certo est, ab altera (A) mythographi[42].

A	B
cena	cena
Atreus Thyestam expellit.	
Th. ex filia Pelopia filium procreat.	
Th. cum Aegistho revertitur.	
Atreus interficitur.	<Th. Atreum interficit>
Agamemno et Menelaus servantur.	<Ag. servatur>
adulti redeunt, Thyestae rursus regnum eripiunt.	<adultus redit et> Thyestam cum Aegistho puero expellit.

De Aeschylo pauca monenda sunt. Aegisthus enim a crudeli cena profectus ipsum se puerulum cum patre Thyesta ab Agamemnone[43] patria expulsum esse addit, tacet de iis quae intercedunt. in his autem nihil erat de Pelopia, quoniam Aegisthus non procul a patria natus patrem adul-

42. Apld. ep. 2,14. Hyg. 87. 244. schol. Eur. Or. 15. — non in censum venit Hyg. 88, quae fabula a poeta tragico ex illa simpliciore facta est. Sophoclis *Θυέστης ἐν Σικυῶνι* propter frg. 226 priorem formam videtur continisse (sic recte Rossbach, Abh. Herz. gew. 155^2). — Hyg. 88, intellegi nequit, nisi Sicyon ex hac forma omnino demitur atque simpliciori tribuitur. iam argumenta duarum tragoediarum praebet Hyg. 88, quarum alterius scena in Thesprotia est (e versione Latina prodierunt frg. inc. inc. 65,66 Ribb^3; Vahlenus in Ennii ed. II v. 342 sq. Thyestae inculcavit, falso! nam si sunt Thesproti [codd: threspontem thesprotum] omnino non quadrant ad cenam Thyesteam), alterius scena Argis. hae tragoediae fortasse Carcini fuerunt, in cuius ‚Thyesta‘ scimus ex Aristotele (Poet. 16) fuisse *ἀναγνώρισιν διὰ σημείων* quae convenit cum Hyg. 88. tenemus igitur, si recte conicio, trilogiae alteram et tertiam fabulam, prima fuit *Ἀερόπη* (*Ἀερ.* κ. *Θυέστης*).

43. v. 1606=1576 K, de quo omnes quod sciam errant commentatores, unus Wilamowitzius recte vertit Germanice. *ἐξελαύνει* Agamemno: hoc postulat ratio grammatica.

tus reducit Atreumque interficit, sed in Argolide ortus puerulus ab Agamemnone — Atreus igitur non iam vivit — expellitur. itaque alterum Thyestae exilium, in A post cenam positum, stare non potest, paulo post cenam Thyestes fratrem evertit. Iam apparet apud Aeschylum inveniri simpliciorem conformationem, apud mythographos ampliorem, in qua Pelopia addita est et alterum Thyestae exilium, necessarium illud quidem Pelopia addita, sed quo libentur caremus.

Et A et B tragicis vetustiores sunt; quod de B non opus est dicere, non minus autem valet de A. Thyestae enim incestus, cui Aegisthus vitam debet, argumentum erat Sophoclis tragoediae, cuius titulus *Θυέστης ἐν Σικυῶνι* exstat, quod argumentum a poëta tragico praecipue a Sophocle inventum esse omnino nequit. —

Sed etiam in iis quae sequuntur duas formas fabulae agnoscere mihi videor. apud Aeschylum enim Aegisthus de se ipso dicit: *τραφέντα δ' αὖθις ἡ δίκη κατήγαγεν.* quando reducit? Agamemno Thyestem cum puerulo expulerat: neque ulla causa erat revocandi neque aut ipse aut Clytaemestra de Aegistho commemorant. inde effici mihi videtur Aegisthum Agamemnone absente rediisse.

Quocum discrepat Telemachia (*δ* 512 sqq.), in qua Aegisthus, qui regem reversum ad cenam invitat, *ἀγροῦ ἐπ' ἐσχατιῆς* habitat ubi Thyestes quoque habitavit. sequitur ut Agamemno eversos omnino non expulerit, sed ut in terra remanerent permiserit. Huc revoca Apld. epit. 2,15[44]: Thyestes ad Iunonis aram fugit, Atridae iusiurandum ab eo postulant, sine dubio *μὴ μνησικακήσειν*, eumque in insula Cythera collocant. iam secundum schol. *δ* 517 *Ἄνδρων τοῦ Θυέστου τὴν οἴκησιν περὶ Κύθηραν ὑφίσταται*, id quod ex versuum intellectu difficilium *δ* 515 sqq interpretatione falsa elicitum est. Cythera igitur loco Apollodoreo quoque abicienda. restat iusiurandum, quod cum Telemachia optime con-

44. Locus a Wagnero suo iure e Tzetzae Chiliadibus arcessitus.

gruit; neque enim iusiurandum apte ab eo reposcis, quem in exilium mittis, sed ab eo quem in terra manere pateris: ἀγροῦ ἐπ' ἐσχατιῆς autem Thyestes non iuratus aegre habitare potest. Neque illud dubium, cur Agamemno in patris interfectorem non gravius animadvertat: ad aram Iunonis, summae deae Argivae, profugo parcere oportuit. —

In fine totius disputationis quae aut certa aut veri similiora effecisse mihi videor tabula composita complectar; cui tamen quas ultimas detexi discrepantiae non poterant addi. carminum autem, quibus inseri possint hae conformationes nunc discretae, vix exstant tituli. Ἀτρειδῶν κάθοδος, in qua et Tantalus commemoratus certe erat et reditus Atridarum Agamemnonisque nex fuse enarrabatur[45], formae aut III aut IV attribuenda est. formae IV primum vestigium certum praebet Alcmaeonis[46], quam qui conscripsit sine ullo dubio ut in re ab ipso proposito magis devia formam IV iam carmine conditam ante oculos habuit.

I. Cyme.	II. Lesbus.	III. Aeolis (I+II).	IV. Graecia.
	Tantalus, mons Lesbi, pater Pelopis.	Tantalus in Sipylo regnat pater Pelopis.	= III.
	Pelops Oenomaum Lesbium vincit a Myrtilo adiutus. ex Hippodamia filios procreat. Lesbi moritur.	= II.	
Pelops Mercurii f. rex Mycenae. (Hippodamiam regis vicini filiam adipiscitur).		Lesbo in Peloponnesum transit (Amyclas?); in itinere Myrtilum ad Geraestium praecipitat.	P. a. Sipylo Pisam transmeat, Oenomaum Eleum vincit, in Elide regnat.
			Chrysippi nex. Atr. et Thy. Mycenas vocantur, in Persidarum locum successuri.

45. Wil. HU 156 sq.
46. schol. Eur. Or. 995.

I. Cyme.	II. Lesbus.	III. Aeolis (I+II).	IV. Graecia.
Atreus regnat. Thy. <uxorem Atrei corrumpit>. agnum regnumque ei eripit.		Atreus regnat. Thy. uxorem Atrei corrumpit agnumque nanciscitur.	Thy. uxorem Atrei corrumpit agnumque nanciscitur. miraculum caeleste. Atreus regnat. Thy. eicitur. Thy. revertitur.
		cena.	cena.
			Thy. eicitur. incestum cum Pelopia concubium. Thy. cum Aegistho revertitur.
		Thy. Atreum interficit.	Atreus interficitur.
Thy. regnat. Ag. adultus Thyestam evertit.		Thy, regnat. Ag. adultus Thyestam evertit.	Th. regnat. Ag. Thyestae regnum eripit.
Agamemno regnat.		Agamemno regnat.	Agamemno regnat.
		Aegisthus Clytaemestram corrumpit, Agamemnonem interficit. Aegisthus regnat. Orestes adultus Aegisthum evertit.	= III.
(Agamemnonidae Cymam incolunt Mycenis profecti)	Orestes Lesbum et Tenedum incolit e Laconica profectus.	(Orestes vel eius posteri Lesbum et Tenedum incolunt)	

Appendix I.

De solis itinere converso.

Hoc miraculum quid sibi velit disceptare conabor, id quod in adn. 34 promisi. Atque primum quidem non solum

Atreus astrologus[1] procul habendus, sed ne illud quidem credi potest factam esse totam narrationem ab eo, qui solem contrarium stellis iter facere observasset[2].

Proficiscendum est ab eo, quod Solis μετάστασις in ultima illa demum fabulae conformatione addita est, ideo ut Thyestes agnum nanctus ne regnet. Thyestes alteram condicionem accipit, quia fore ut tanta omnis naturae commutatio fiat non credit; tamen τὸ ἀδύνατον fit. Est igitur μετάστασις illa tale quoddam, quod etsi fieri non posse videtur tamen fit.

Nota sunt ἀδύνατα illa Graeca, non ea dico quae ad inutile et supervacaneum pertinent, ut ‚λίθον ἕψεις' vel ‚πλίνθον πλύνεις',[3] sed talia ‚πρίν κεν λύκος οἶν ὑμεναίοι' (Ar. Pac. 1076) vel ἄνω ποταμῶν ἱερῶν χωροῦσι παγαί (Eur. Med. 419) vel μάλα ῥητορικῶς in Senecae Thy. 476 sqq. ‚aetherias prius perfundet Arctos pontus et Siculi rapax consistet aestus unda et Ionio seges matura pelago surget et lucem dabit nox atra terris, ante cum flammis aquae, cum morte vita, cum mari ventus fidem foedusque iungent' — vel quod propius ad sententias populares accedit Plaut. Poen. 343: ‚quando apud me mecum caput et corpus copulas?' — ‚quo die Orcus Acherunte mortuos amiserit."

In hoc numero pone fuisse: ‚prius Sol contraria via vehetur'; vel ‚ut numquam iter convertet, ita . . .' iam fabula habet unde explicetur. atque etsi in sermone Graeco id ipsum ἀδύνατον mihi nondum occurrit, tamen in lingua et poesi praecipue Germanica simillima inveniuntur. Uhland enim in dissertatione carminum popularium collectioni addita[4] hos adfert versiculos:

ich nem dich mit wenns rosen regnet,
und wenn der mond der sonne begegnet.

1. Eurip. fr. inc. 806. Polyb. apud. Strab. I p. 23.

2. neque enim congruit Plat Pol. 269 (ἡλίου καὶ τῶν ἄλλων ἄστρων). neque Eurip. Or. 1001 sqq (Solem et Pleiades). — falso H. Weil ad Eur. El. 727.

3. schol. Ar. Vesp. 279. libellus inter Plutarchi scripta obvius.

4. Alte hoch- und niederdeutsche Volkslieder. Dritter Band: Abhandlung. p. 164.

cui e poesia Fennica[5] adiungit ‚wann kommst du, sohn, nach hause?‘ „wann der tag aus nord aufleuchtet.“ tum hic adferre convenit Uhland Volksl. 4 B. Str. 5:

schal ick di ein brugge schlaen
van einem kleinen rise,
so schaltu mi dat sövensterne
to hogen middage wisen.

Iam id narrationum genus nonrarum est, quod cum talibus ὀδυνάτων proverbiis cohaeret. quod genus in has species dividimus.

1) quae non sunt, sed videntur, ἀδύνατα.

a) oraculo praedicitur futurum] esse aliquid, ubi aliud quoddam, quod ἀδυνάτων videtur, acciderit.

α) Athamas oraculum accipit κατοικεῖν ἐν ὧιπερ ἂν τόπωι ὑπὸ ζώιων ἀγρίων ξενισθῆι. lupi oves dilaceratas relinquunt appropinquantibus hominibus (Apld. I 84).

β) Myscellus Crotonis conditor oraculum accipit κτίζειν πόλιν, ὅπου ἂν αὐτὸν ἐξ αἰθρίας ὑετὸς λάβηι. desperat διὰ τὸ ἀδύνατον τοῦ χρησμοῦ; paelex eius δακρύει ἐπ' αὐτῶι ὀδυρομένη schol. Arist. Nub. 371.

γ) ‚cum te nate fames . . . accisis coget dapibus consumere mensas, tum sperare domos‘ etc. Verg. Aen. VII 124 sqq,

δ) Macbethus responsum tulit se interiturum, si silva meaverit, et per eum quem mulier non pepererit.

b) convenit inter duas partes futurum esse aliquid, ubi aliud quoddam, quod ἀδύνατον videtur, acciderit.

α) Pelasgi Atheniensibus pronuntiant Lemnum se tradituros, ubi illi aquilone pulsi ex ipsorum terra in suam venerint.

β) Puella a proco cum alia poscit ἀδύνατα tum hoc, ut sacerdotem non natum ad copulandum adducat. sa-

---

5. adn. 182: „wahrscheinlich aus Schweden übernommen“.

cerdotem adducit cui idem contigit quod Macduffio. (ballata Scotica[6]).

2) quae sunt ἀδύνατα.

a) quod oraculo praedicitur ἀδύνατον est, sed tamen deo interveniente fit.

In ballata Suedica is qui fratrem interfecit se numquam rediturum esse talibus ambagibus pronuntiat: „wann kommst du zurück?" „wann der schwan wird schwarz." „und wann wird schwarz der schwan?" „wann der rabe wird weiss." e. q. s.[7] Iuvenali (VI 165) mulier pudica est ‚rara avis in terris nigroque simillima cycno' [et similiter idem VII 202: ‚felix ille tamen corvo quoque rarior albo.' λευκὰς κορώνας ἐπὶ τῶν ἀδυνάτων (Macar V. 52 = Paroemiogr. II p. 184)[8]. corvus igitur albus nobis quoque res rarissima imprimis autem nigri in album mutatio in proverbiis ἀδυνάτων habetur. Iam dudum tibi in mentem venit Μαγνησίας κτίσεως[9]: Apollinem Delphicum respondisse tempus redeundi adfore, ubi nigros corvos in albos mutari vidissent (οἰωνοὺς πτερύγεσσι σὺν ἀργέννῃσιν ἰδόντες ἐγ μέλανος): atque accidit hoc deo intercedente.[10]

b) quod oraculo praedicitur ἀδύνατον est, sed arte fraudeque a cato homine effici videtur. (forma sine dubio posterioris temporis quam 2a propria):

Phalantho Phoenici Ialysio responsum est castellum

---

6. Uhland l. c. III p. 159.

7. Uhland l. c. III p. 165.

8. cf. Otto Sprichwörter der Römer s. v. avis. add: Lucilli epigr. AP XI 436.

9. Inschriften v. Magnesia tit. 17. cf. Kern Gründungsgeschichte v. Magn. p. 7.

10. quod in Eoea de Coronide corvus initio albus nigrum colorem induit (h. e. nigri avis color e fabula explicatur, ut similia saepe occurrunt), eo fabula Magnesiaca non intellegitur, sed id fortasse, cur e multis ἀδυνάτοις hoc ipsum delectum sit.

non expugnatum iri, ἕως κόρακες λευκοὶ γένωνται καὶ ἐν τοῖς κρατῆρσιν ἰχθύες φανῶσι. haec fraude fiunt[11].

c) asseverat aliquis rem certam fieri non posse neque esse futuram, nisi antea aliud quoddam id quoque ἀδύνατον accidisset.

α) Tannhäuser (Uhland Volksl. no. 297). der bapst het ain steblin in seiner hand | und das was also durre: | ‚als wenig das steblin gronen mag | kumstu zu gottes hulde' . . . es stond bis an den dritten tag, der stab fing an zu gronen.

β) legenda a Lucio Marinaeo (‚de rebus Hispaniae memorabilibus') narrata (R. Koehler kl. Schr. III 223sqq): „sic enim vivit filius tuus [qui supplicio adfectus est, sed in palo a sancto servatur], ut vivunt hae aves". et vix hoc dixerat, cum gallus et gallina saltaverunt in mensa statimque gallus cantavit. (cf. Jahrb. f. rom. u. engl. Litt. III p. 67 sq.)

γ) carmen populare Venedorum (Jahrb. l. c): fabula eadem quae sub β, sed duo ἀδύνατα: nisi tres baculi aridi frondem produnt et nisi tres gallinae coctae avolant.

δ) Sueton. Galba 4: Galbae avus cum responsum tulisset summum imperium portendi familiae, irridens Sane, inquit, cum mula pepererit. mula parit, Galba imperator fit.

ε) Passow, Popul. carmina Graeciae recent. c. 197

---

11. Ergias et Polyzelus Rhodii ap. Athen. VIII 360 d e, cum fabula Magn. coll. a Kaibelio Hermes 30, 189. potest etiam huc revocari historia a Zenobio (III 8=Paroem. I p. 78) narrata.

12. consulto omisi id genus fabulandi, quo ἀδύνατα simpliciter pro veris narrantur: Schlaraffenland, Luegenlieder, Finkenritter. cf. Grimm KHM 158 et 159 cum adnot., Goedeke, Grundriss II 557, Reinmar v. Zweter ed. Roethe p. 248. Crusius Verhandl. der 40. Philologenvers. p. 38. — (non nulla mihi monstravit Hermannus Michel Dr. phil. vir harum rerum peritus).

= Liebrecht Beitr. z. Volkskunde p. 179 (qui etiam alia adfert).

Ut speciei 1a respondet 2a, speciei 1b hoc respondeat: (d) convenit inter duas partes futurum esse aliquid, ubi aliud quoddam, quod *ἀδύνατον* est, acciderit. Sic vero est in fabula Pelopidarum, a qua profectus sum et propter quam haec quamvis pauca congessi.[12]

Appendix II;

De Oresta et Pyrrho.

Orestae et Pyrrhi certamen Delphicum etiam nuperrime e summa antiquitate repetitum[1] postremis poëseos epicae temporibus effictum esse demonstrabo, ut tandem ad arcana religionis inde perveniri posse harum rerum studiosi existimare desinant.

E Pyrrhi[2] sepulcro Delphico historia nata est. quis eum interfecerat? Delphi homines vel Machaereus sacerdos a plerisque nominantur.[3] a) Pindarus: decumam Pyrrhus Apollini dedicaturus Delphos venit, de carne contentione orta a Machaereo (is enim latet sub verbo *μαχαίραι*) interficitur. b) Apld. ep. 6, 14. Strab. 421: pro patris morte deum ulturus Pyrrhus Delphos venit, a Machaereo interficitur. — Fabulae forma ‚b' non novicia est, cum eadem causa Delphos veniendi iam in Andromachae Euripideae fonte cete-

1. Usener, Archiv f. Religionsw. VII. paulo antea Radermacher, Jenseits p. 51. (apud illum Orestes: Pyrrhus=Bacchus: Apollo, apud hunc O : P = A : B).

2. Pyrrhi, non Neoptolemi. hoc e nominibus Delphicis concludo; non quod Pyrrhi multi occurrunt, cum hoc nomen nusquam non inveniatur; sed quod Neoptolemus non occurrit, *Ὀρέστας* et *Αἰακίδας* in usu sunt. similiter Usener l. c. 331. — Achillis filii duplex (vel triplex: *Πύρρης* *T* 327 v. l.) nomen explicare non possum.

3. Delphi: Paus. I 13,9. Machaereus: Pherec. in schol. Eur. Or. 1655, Pind. Nem. VII 37 (*μαχαίραι!*), Asclepiades Trag. in sch. Pind. Nem. VII 62 (*σχεδὸν ἅπαντες οἱ ποιηταὶ συμφωνοῦσι*), Strab. 421, Apld. epit. 6,14. cf. Paus. X 24,4.

rum diverso fuerit, sed longius eam abesse ab origine quam ,a'[4] Μαχαιρεὺς ὁ Δαίτα[5] ipso nomine arguit, cum in ,b' infestus ad templum dei profectus non potuerit sacrificare neque de carne certare cum sacerdotibus.

Alii Orestam necis auctorem esse volunt, atque unus quidem Vergilius (Aen. III 332) ,patrias ad aras' illum obtruncasse Neoptolemum dicit, nescio qua auctoritate nisus aut qua fide dignus, ceteri Delphis. apud Euripidem vero ne ipse quidem necem perpetrat, sed Delphos incitat ad facinus, apud reliquos, qui Orestam interfectorem inducunt,[6] propter brevissimas narrationes potest aliquis dubitare, sitne idem subaudiendum, quod andimus apud Euripidem. sed utut hoc est, vel ipsa ,recensione' verisimile fit Orestam postea accessisse.

Orestae et Pyrrhi simultas propter Hermionam oritur, quae initio ab illo aut petitur aut ducitur, tum in huius manus transit, postremo rursus illius fit.[7]

Pyrrhus ex Andromacha progeniem sibi parit, itemque Orestes ex Hermiona. Pyrrhi cum Hermiona coniugium liberis caret.[8] coniugia autem in fabulis liberum quaesundum gratia fiunt, neque ulla uxor liberis orba manet, nisi certa aliqua de causa. in hac igitur fabula propter id unum possit ἄπαις esse, quo Neoptolemus, sicut Laius et Euripidei Xuthus Aegeusque, ad oraculum cogatur proficisci, id quod fit apud Pherecydem et in Hermiona Pacuvi ignotum nobis

---

4. de Pindaro ego olim paulo aliter iudicaveram, ita scilicet ut iudicat Welcker Gr. Tr. 222. rectius, opinor, sentire me docuit Wilamowitzius.

5. Asclepiades in sch. Pind. N. VII 62.

6. Apld. ep. 6,14: ἐν Δελφοῖς ὑπὸ Ὀρέστου κτείνεται. Velleius I 1: ,Delphis eum interficit'. — sed Eur. Or. 1656 Δελφικῶι ξίφει. Iustin. 17,3: ,insidiis Orestae interiit'.

7. de singulis relego ad Hoeferum RML III 1011.

8. sic apud Pherecydem (sch. Eur. Or. 1655), apud Sophoclem ut videtur (eodem loco), apud Euripidem. quae in sch. Eur. Andr. 32 aliter disputantur, aut aperte falsa sunt velut Lysimacheum illud (cf. schol. 24), aut posterioris notae videntur esse. — recte Paus. I 11,1.

exemplar secuti (frg. 1). sed quavis re Delphos mitti poterat et effici hoc aliis locis plane aliter cognovimus. coniugium igitur novicium est, et potest demonstrari unde provenerit. in Odysseae enim δ Orestes Spartam advenit, dum nuptiae Hermionae apud Troiam Achillis filio promissae simulque Megapenthis cum Alectoris filia nuptiae celebrantur. itaque aut is, qui Telemachiam panxit, ut Megapenthem filium Menelai fecit de suo, sic etiam nuptias illas finxisse putandus est,[9] aut nescio quis, qui Neoptolemum Troiam arcessi narraret, promissum illud invenit.[10]

Habemus fabulam Delphicam, a cuius altera forma Orestes procul est et ad quam postea eum accessisse perlustranti testimonia verisimile fit. cum Pyrrhi morte coniungitur Orestes matrimonio illo novicio, quo dempto hinc quoque solvitur a Delphica Pyrrhi nece.

Sic igitur historiam fabulae constituimus:

I: A sepulcro profecta est fabula Pyrrhum de carne certantem a Machaereo sacerdote interfectum esse. cur Delphos venerit, primo non magis opinor curaverunt, quam cuius filius fuerit.

II. Pyrrhus filius Achillis

a.	b.
a. decumam Apollini fert. certamen de carne. interficitur a Machaereo.	b. deum ulcisci volt pro patris morte. interficitur a Machaereo.

III. Accedit Hermionae cum Pyrrho matrimonium: Orestes Pyrrhi adversarius fit. haec cum priore fabula II variis modis coniunguntur. (a) apud Euripidem cum IIb. — (b) in Pacuvi Hermionae exemplari et fortasse apud Sophoclem formae IIa nova substituitur causa Delphos veniendi: de uxoris sterilitate consulit oraculum. (quid in fine mutatum sit nescitur). — (c) apud Pherecydem huic initio integra forma IIa subiuncta est.

9. de Megapenthe Wil. HU 174 sq. idem p. 92[5] de Hermionae conubio minus recte iudicare videtur. — stemma Pherecydeum (schol. δ 10 + 22) post Telemachiam factum est, quippe in quo Alector et Eteoneus coniungantur.

10. Wilamowitzius de Agamemnonis in Iliadis Nono promissis me monet. — cf. Quintus VI 84.

INDEX.

Capitum IV et V quae postea emittentur adumbratio.

Caput IV. Ephyra.

Ex Eumelo (Paus. II 3,10 + schol. Pind. Ol. XIII 74 g) efficitur fuisse veterem Corinthiam de Medea fabulam, id quod e fabula Corcyrea firmatur. cum mytho Corinthio Eumelus Argonautarum expeditionem coniunxit. haec Mileti exculta est (1. Colchis; 2. Cyzicus, Planctae ex κμ; 3. Phineus; 4. Sinope; 5. certamina Iasonis e Cadmi Milesii historia translata; 6. Solis stemma in κμ obvium). Solis stemma Mileti non exortum convenit cum Corinthio. item Bellerophontes et Corinthius est et in Sisyphidarum stemmate Milesio [cf. cap. II C] locum tenet. Bellerophontes in Ζ Ephyraeus est.

Ephyra

Miletus Corinthus

Ephyrae igitur Solis stemma exortum est et fabula Medeae. (Sol et Phaëthon Rhodii ii quoque Ephyra oriundi sunt — schol. ρ 208; Tlepolemi mater Ephyraea est.) Mileti ea pars Argonautarum fabulae quae ad Medeam pertinet coaluit cum altera de vellere aureo fabula. haec a sinu Pagaseo venit (Athamantis regis et sacerdotis Laphystii cum Nube coniugium, adulterium, divortium, ariditas [schol. Ar. Nub. 257], Phrixi sacrificium non perpetratum, arietis vellus piaculi causa adlatum). ad fabulam Ephyraeam et Thessalicam e Cadmi historia non nulla accesserunt. —

Autolycus Parnassius. Sisyphus Boeotus (nam filii eius urbium Boeotarum eponymi sunt). Ulixes Boeotus (Alalcomenis natus). — Sisyphus Ephyraeus. Autolycus Arcas (Paus. VIII 4,6 — schol. Soph. Ai. 190). Ulixes Arcas. Paus. VIII, 12,6. 14,5. 44,4. Herod. II 145. Athen. IV 158d). — Sisyphus Autolycus Ulixes iam primis temporibus videntur coniuncti fuisse. — *κμ* carmen Milesium. Ulixes apud Circam Solis filiam (Aeetae sororem!): fabula Milesia. Ulixis cum Sole simultas fabula Milesia. in Argonautarum historia quae ad Solem (Medeam) pertinent Ephyra Miletum venerunt. Sisyphus Ephyra Miletum venit. sequitur ut Ulixis quoque fabula Milesia (scilicet haec sola!) Ephyra Miletum venerit.

Caput V. *ΙΝΑΧΕΙΟΝ ΓΕΝΟΣ*.

Cadmus stemmati Inacheo iam ante Hesiodum adiunctus est, stemmati Rhodio a Rhodiis. Cilix Rhodius est, nam Ciliciam Rhodii incoluerunt. sequitur ut idem valeat de Thaso. Herculis fabulae Thasia Thraciaeque ita demum explicantur (Rhodiae enim sunt) simulque firmant meam demonstrationem. eidem conexui tribuenda est Samothrace (Electra-Eletryone Samothr., Electryone Alectrona Rhodia). Dolonia, quae coloniis ad Strymonem deductis, fort. carmen Rhodium fuit: *K* 266; Amyntoridae, Ormenio oriundi, gens Rhodia sunt. — Herculis contra Diomedem expeditio in una ea forma traditur, quam a Rhodiis Thraciam incolentibus accepit. Carmen igitur de dodecathlo Rhodium summam auctoritatem habuit in nostra memoria. (fabula Geryonea Rhodia videtur esse propter Solem).

Abas. praeter stemma Inacheum occurrit compluriens coniunctus cum vatibus (Paus. I 43,5. Apld. I 103, II 27. *E* 148. Apoll. Rhod. I 139). itaque ipse vates fuit; priscus ut videtur oraculi Abaei possessor. (plane alienus est Abas eponymus Abantum Euboicorum).

Proeti et Acrisi certamen fabula Argiva (Bacchyl. X).

Proeti et Bellerophontis fabula Milesia (quae subest in Z Iliadis) postea cum Argiva coniuncta est.

Acrisius Danaae pater artificio factus. Perseus Acrisium Larisae interficit, h. e. in urbe Argolica. sic ex urbe 'Argis (Larisa) solvitur. Perseus Mycenaeus est (Paus. II 18,1. 16,6. IG IV 493), posteriore tempore Argos translatus. olim Andromedam Tegea arcessivit, Medusam in Arcadia interfecit (,Μέδουσα' regina defunctorum. in Arcadia Styx, Ladon Hesperides-Harpyiae-Stymphalides, Phineus).

Vita.

Natus sum Paulus Friedlaender Berolini a. d. XII Cal. Apriles anno 1882, patre Maximiliano mercatore, qui iam puerulo me diem obiit, matre Clara e gente Schidlower. fidei addictus sum evangelicae.

Gymnasio Berolinensi Fridericiano per novem annos interfui. anni 1900 vere maturitatis testimonio auctus adii Universitatem Berolinensem. vere anni 1902 Bonnam me contuli, unde post duo semenstria reversus rursum almae matris Berolinensis alumnus fui. Docuerunt me Berolinenses: R. Delbrueck, Diels, Graef, Heinze, Helm, Herrmann, Kekule de Stradonitz, Roediger, Rothstein, Stumpf, Vahlen, Vierkandt, Weinhold (†), de Wilamowitz-Moellendorff. — Bonnenses: Buecheler, Karo, Loeschcke, Solmsen, Usener.

Prosemenarii philologici Berolinensis sub Dielsio et Wilamowitzio florentis sodalis fui ordinarius per tria semenstria, seminarii Bonnensis a Buechelero et Usenero recti per unum; in seminarium Berolinense Vahlenus per duo semenstria me recepit sodalis extraordinarii loco. — Ut exercitationibus interessem, hi viri clarissimi permiserunt: Berolinenses Delbrueck, Kalkmann (†), Kekule de Stradonitz archaeologicis, W. Schulze ad linguas pertinentibus per duo semenstria, Winnefeld epigraphicis. — Bonnenses: Buecheler Oscis, Loeschcke archaeologicis per duo semenstria, Usener ad historiam religionum pertinentibus per tantundem temporis.

Examen rigorosum pridie Nonas Maias a. 1905 sustinui.